BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III

XX J
B
1
NAPOLI

di Libri
Colabrò
16 NAPOLI

XXI
13
1

Digitized by Google

BIBL
Vit

Digitized by Google

XXI B 7

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIVS POLITISSIMVS

ABELIS STRASBVRGII, I. V. DOCTORIS AC PRACTICI

eximii, quondam in inclyta Academia Lipſenſi Profeſſoris, & tandem Reipubl. Noribergenſis Aduocati,

In *Leg. Iurisgentium. Digeſt. de Pactis.*

Et

In Tit. *Digeſt. Si certum petatur.*

Nunc primum typis vulgatus, cum INDICE in fine adiecto.



HANOVIÆ,
Apud Thomam Willierianum, & Ioannem Le Clercq.
MDCXIII.

PRÆAMBVLA.

EXorſurus repetitionem materiæ de contractibus quædã de eorum neceſſitate, aut de illorum naturalibus aut ſubſtantialibus, aut aliud eiuſmodi in hunc finem præmittere poteram, vt euidẽtiorem præpoſitæ materiæ præſtarem intellectum, *l.1.de regul.iuris.* latè Maſcardus *de probat. vol.* 1. ſtatim in *princ.num.* 3. 4. 5. *&c.* Sed cum propoſitum & alioqui officii mei ſit, qua fieri poterit breuitate cuncta perſtringere, omittam hoc loco ea omnia, vtpote hic non vſque adeo neceſſaria & auditoribus vel non incognita vel hinc inde apud interpretes obuia, neceſſitas certè & inde emanans contractuum frequentia neminem latere poteſt. Reliqua vero, quæ huic materiæ lucem aliquam afferunt, in contextu explicationis, præſertim verò in *l.iurisgentium.7.ff.de pact.* commodiſſime tractabuntur, ad rem igitur accedamus ipſam.

Contractus, de quo hic nobis ſermo eſt, definitur eſſe mutua & honeſta conſenſio duorum vel plurium contrahere non prohibitorum de re aliqua legitimo modo transferenda vel quoad dominium, vel quoad vſum, vel iure gentium, vel iure ciuili ordinata, vt vita hominum tali rerum commutatione copulata conſeruetur, *l. ex hoc iure 5. ff. de iuſt. & iure. l. 1. de contrah. empt.* Mutuam itaque dico duorum aut plurium conſenſionem; quia intentio contrahentium eſt producere obligationem, *l. licet. 42. §. ea obligatio, de procurat. l. quæcunque gerimus. 10. l. obligamur. 51. ff. de act. & obligat.* cuius natura eſt præſupponere duas ſaltem perſonas; vnam, quæ ſcilicet obligat, & aliam, cui fiat obligatio, *l. obligatorum 3. in princ. l. 2. in fine, ff. eodem. titul.* cuius rei occaſione non inconuenienter quæritur, cum multi ſint contractus, iique frequentiſſimi, in quibus alter tantum contrahentium, non etiam vterque obligatur; an verè & propriè contractus dicantur, ex quo non ſunt vltrò citroque obligatorii, quod Vlpianus in *l. Labeo. §. contractum. de verborum ſignificatione.* negare videtur, & crebrior ac receptior opinio eſt, contractus propriè dici eos qui vltrò citroque obligant,

gant,

gant, vt emptio, locatio, ſocietas, & ſimiles, *dict. l. Labeo*: reliquos vero, qui vnam tantummodo partem vinciunt, contractus quidem eſſe, ſed impropriè & ex larga quadam ſignificatione, vt donatio, mutuum, ſtipulatio, §. *conuentionales. & ibi Dd. Inſtit. de diuiſ. ſtipulat.* Alc. in *dict. l. Labeo. §. contractum. & in lib. 2. prætermiſſorum*, Bellon. in *libr. 2. ſupputationum*.

Honeſtam, dixi, ad excludenda iniuſta pecuniarum aucupia, quæ fiunt per fraudes, rapinas, furta, vſuras, & his ſimilia quibus iuſtitia & æquitas violatur; quod etiam tum fieri ſolet, quando alioqui ſub ſpecie quidem honeſtatis in proximi tamen præiudicium contra leges, aut etiam ſimulatè contrahitur. Qua de re Tiraq. in *præfat. de contractu conuentionali, num.* 16. 17. *mihi fol.* 485. Excludo itaque non tantum directam vſuram, vt in mutuo, *can. vſura. can. plerique.* 14. *quæſt.* 3. & indirectam, quando ſunt ſub velamine liciti contractus, puta emptionis, vſura committitur, *cap. ad noſt. 5. de empt. & vendit.* quæ quidem propter aſtutias fœneratorum indiciis & coniecturis probanda eſt, qua de re vide Menoch. *conſ.* 109. *reſpondendum videbatur. lib.* 2. Burſatum *conſ.* 330. *colligo ex proceſſu, volum.* 3. Decianum *conſ.* 2. & 105. 1. *volum.* Tiraq. *de retractu conuentionali in præ-*

*ſat.num.*36. Verum etiam ſimulatos contractus, in quibus conſenſus non eſt, Bald. in *l.erogaſti.§.ſi tibi.ſi cert. pet.* de quorum probatione vide Mandell. *conſ.*9.70.97. Mãtuanum *conſil.*221.*tom.*2. Decianum *conſ.*62. *vol.* 3. & nouiſſimè Marſcard. *de probat. vol.* 1. *concluſ.* 4.35. *cum aliquot ſequentibus.* Conſenſum contrahentium ad eos reſtringo, qui lege contrahere non prohibentur: etſi enim regulare ſit, vt omnes poſſint contrahere, *l.ſicut, vbi Gl. & Dd. Cod. de act. & oblig.* cum Deus ne Imperatori quidem contractus ſubiecerit, Crauetta *conſil.* 241. *num.* 12. Cephal. *conſ.*302.*num.*119. Interdum tamen perſonæ ſtatus & conditio, interdum locus, interdum officium, interdum ætas, interdũ intellectus infirmitas & mores leuiores libertatem contrahendi, ſi non in totum ſaltem aliqua ex parte impediunt; quid enim ſi ſerui indiſtinctè contrahere præſumant, quorum quidem conditio primis temporibus tam dura non fuit, vt ex ſacræ legis hiſtoria manifeſtum eſt, quod & bona propria ſibi ipſis acquirere, eaque poſſidere, dominis ſuis quandoque ab inteſtato ſuccedere, & forte in iudicio experiri potuerint. 2. *Samuel.*16. *Geneſ.*47. *Hiob.* 21. Alciat. in *l.paterfam.*182. *ff. de verborum obligatione.* Sed temporis ſucceſſu rigor iuris

iuris ciuilis introductus eſt vt nulla ſit eorum obligatio, *l. in his.* 175. *l. ſeruit.* 209. *l. quod attinet: de regulis iuris.* Bart. in *l. ſi id quod. ff. de condit. indeb. l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iure.* Quid ſi incarcerati in carcere contrahant, quos contractus indiſtinctè non admittimus. Qua de re vide Menoch. *conſil.* 1. *lib.* 1. *num.* 271. *cum multis ſequentibus.* Ruinum *conſil.* 133. *volum.* 5. Comenſem *l. qui à latronibus. in prin. ff. de teſtam.* Petrum Peckium *de iure ſiſtendi cap.* 29. vbi, an contractus cum teſtato factus infirmari poſſet. Quid ſi tutor non interueniente contutoris, aut illo deficiente, iudicis autoritate & ſine cauſæ cognitione contrahat. Qua de re videatur Corraſ. *lib.* 6. *Miſcel. cap.* 14. & 15. Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 80. Cagnolum in *l. ſingularia. num.* 71. *cum ſequentibus. ff. ſi certum pet.* Quid ſi minor, aut etiã pupillus contrahendi facultatem ſibi arroget, cuius nomine ſoli tutori cõtrahendi facultas competit. *l. fin.* §. *pupillus, de reſtit. minor. l. contra, de pactis. l. pupillus. de act. & obligat. l.* 1. *de nouat.* Bellonus *de antinom.* cum eius ætatis ſit, vt non intelligat, quid agat, & quid videat, ignorat, *l.* 1. §. *fin. Cod. de falſa moneta.* Quid ſi ſenſu & intellectu deſtituti contraherent, vt furioſi, mente capti & phrenetici contra *l. in negociis ff. de regulis iuris. l.* 1. §. *furioſum.*

rioſum.de act.& obligat.l,ſi à furioſo,12.ff.ſi cert. pet. Quomodo autem probetur furor, videatur apud Did. in *Epit. 4. decretal. parte.2.cap.2.num. 6.* & Maſcar. *de probat. volum.1.concluſ.52.& volum.2.concluſ.824.* Quid ſi prodigus contrahat, cui tamen bonis interdictum eſt, qua de re videantur plura in *l.15.cui 6, vbi Corraſ.ff. de verb.obligat.* Eſt & cum de muto & ſurdo quæritur, quem quidem ab officio iudicis remouet Iuriſconſ.in *l.cum prætor. 12. §. non autem. ff. de iudic.* Sed de eorum contractibus vide Corraſium in *l.1.num.15.& ſequentib. ff. de verborum obligat.* Cagnolum in *l.vti non voce.167.ff.de reg.iuris.* Tiraq. *de leg. connubialib. Gl. 7. verb. expreſſo,num.17.cum ſequentibus.* Ad vtrunque ius gentium & ciuile contractus ideò refero, quod etſi iure gentium quo rerum dominia diſtincta fuerunt commercia introducta inſtitutique contractus ſint, *l. ex hoc iure. ff. de iuſt.& iure.* quibus opportuniſſimè foueretur humani generis ſocietas, *l. quid.de contrah. empt.* tamen cum per id hominum neceſſitatibus non ſatis proſpectum fuerit,ius ciuile aliquot contractus adiecit iuri gentium incognitos, vt Emphyteuſin, *l.1. Cod. de iure Emphyt. §. adeo. Inſtitut. locati.* qua de re vide Corraſ. *lib. 1. Miſcel. cap. 21.* conſtitutum, *§.de conſtituta. Inſtit.de act.* literarum

rarum obligationem, §. 1. *Inſt. de lit. obligat.* ſponſalitiam largitatẽ, §. 1. *Auth. vt ſponſal. largit. coll. 9.* Et ſtipulationem, *l. ea quæ ciuiliter, 5. ff. de acq. rer. dom.*

Quod autem in fine definitionis de contractuum neceſſitate ſubiicitur, confirmatione non indiget, cum eam vitæ communis vſus oſtendat. F. Burſat. *conſil. 228.* Et alioqui planum ſit, contractus vltimis voluntatibus eſſe magis neceſſarios & digniores, cuius rei cum cauſas quærerem, has cauſas inueniebam quatuor. Prima: Quia decedimus ſæpè inteſtati; quo caſu lex teſtatoris vice fungitur, & hæreditatem iis aſſignat, quib, debetur; aut ſi teſtati morimur, non niſi vnico teſtamento confecto, cui ſtandum eſt, decedimus, §. *poſteriore. Inſtit. quib. mod. teſtam. infir.* Nemo autem noſtrum eſt, quem non ineuitabilis neceſſitas cogat ſingulis diebus, aut etiam horis contrahere. Secunda propter antiquitatem, cum ipſis quippe hominibus cœperunt contractus, *l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iure.* cum quidem teſtamenta longè ſint recentiora, adeò, vt non deſint, qui ſtatuant, ea iuri gentium fuiſſe incognita, ſed tantum iuri ciuili, *l. 3. de teſtam.* ſicut & aliæ ſucceſſiones, Bart. in *l. 1. de acquir. hæred.* Tertia: Teſtamenta viuis non proſunt, ſed defunctis & poſt eorum demum mortem aliis quoque,

l. qui

l. qui ſuperſtitis. ff. de acq. hær. Contractus vero proſunt contrahentibus in vita & poſt mortem, ac etiam aliis, *l. auus. ff. de pact. l. ſi pactum. de probat.* Quarta: Contractus ſunt firmiores vltimis voluntatibus; cum dependeant à conſenſu duorum vel plurium, & ſint irreuocabiles, *l. ſicut. Cod. de act. & oblig.* vltimæ autem voluntates, præterquam quod ex ſolo morientis, non & aliorum arbitrio dependeant, ſunt ambulatoriæ vſque ad mortem, *lege quarta. de adimen. legat.*

REPE-

REPETITIO
Leg. *iuriſgentium, 7. Digeſt. de pactis.*

AVTOREM noſtræ legis laudamus Domitium Vlpianum ex Syriæ Phenice ſplendidiſſima Tyriorum Colonia oriundum, *l. infra de cenſib.* cuius conſilio Alexander in talem ac tantum euaſit principem, vt ſub eo florentem Imperii dignitatem Conſtantinus demiraretur: hoc vnicum illius prudentiæ defuit, quod Chriſtianam religionem adeo inſectatus eſt, vt non tantum ſanctiſſimam Chriſti fidem Iudaicam ſuperſtitionem quoque dixerit, *l. generaliter. 3. §. fin. ff. de decurionibus.* Verum etiam ſeptē libros detorquendis Chriſtianis, non ad hiſtoriæ cognitionem, ſed ad ſuppliciorum acerbitatem ſcripſerit, Bodinus in *methodo hiſtorica, cap. 4. mihi fol. 65.* Is primum Papiniani diſciplina imbutus eidem prætorii præfecto aſſedit. tandem præfectus prætorio & ipſe factus, dum quidem ali-

aliquandiu prætoris in vrbe Roma aſſeſſor, *leg. metum.* 8. §. *ſed ex facto. Digeſt. quod metus cauſa.* & Alexandriæ imperatoris ſacrorum ſcriniorum magiſter & conſiliarius fuiſſe noſtræ leges honorificè eius mentionem faciunt nobilem dicendo, *leg.* 2. *§. fin. l. diximus.* 4. *de excuſat. tutor.* ſapientiſſimum, *§. fin. Auth. de æqualit. dot.* collatione 7. Egregium *leg.* 2. *§. ſi quidem aliquis. Digeſt. qui pet. tutor.* ſummi ingenii virum, *leg. vnica. §. ſed vt manifeſtetur. Cod. de cad. toll.* Coryphæum legum, *l. ſcire oportet.* 13. *§. ſed etſi de excuſ. tutor.* diſertiſſimum, *leg. cum quidam. Cod. de inſtitut.* amicum & parentem Alexandri, *l. & diui. Cod. locati.* 4. *l. facundum. Cod. de contrah. ſtipulat. &c.* Ab Hediogandulo tandem cum ignorantia dignitate remotus eſt, Dd. in *dict. leg.* 2. *§. fin. de orig. iuris.* præſertim Cagnolus. Subſtitit aliquando in aſſequenda Pomponii ratione, *leg. Pomponius.* 13. *de recept. arbitr.* quare iſte compromiſſor, cuius fit ibi mentio, dubitauerit; cum tamen ibi duplex afferatur ratio. Quare altera reiicitur, altera probatur, ratiocinatus eſt etiam aliquando inconcinnius, *leg. patre furioſo. Digeſt. de his qui ſunt ſui, &c.* Ex hac breui narratione notandus primo amor patriæ, in quo exprimendo ipſam naturæ vocem Scæuola expreſſit, *l. qui habebat.*

bebat. 29. *de leg.* 3. Accurſ. in *leg. fin. Cod. ſi ſeruus exportandus, &c.* Vnumquẽq; enim locus, qui naſcentem primum excepit, quamuis aſperi, ſolitarii, aut inculti, vel etiam ſterilis iucunda quadam recordatione afficit, adeo vt vel ſapientiſſimo cuique viro [illegible]us etiam fumus quis igne videatur eſſe luculentior argumento *canon. omni.* 32. *quæſt.* 8. tradit Gloſſ. in *l. fin. Cod. de abolit. cap.* 1. *de conuerſ. infidel.* Vnde videmus optimos quoſque ex gentibus, quod quidem ſapientia & virtute commendantur patriæ ſuæ fuiſſe amantiſſimos, Tiraq. *de legibus connubialibus. l.* 7. *parte* 7. *Gloſſ.* 1. *nu.* 65. 66. *cum ſequentibus.* Marcum Mantuam *lib.* 12. *polymathiæ cap.* 5. Secundo ſumma principis felicitas, cuius lateri Deus adiunxit ſapiens conſilium, *Prouerb.* 15. *can. Eccleſia* 16. *quæſt.* 1. Caſſanæus in *procem. conſuetudinum Burgundicarum. verb. ordunda. num.* 1. 2. & 3. Vt autem nihil magis optandum, quam vt prudentium hominum conſiliis magiſtratus gubernetur, cum quidem ſapientiæ decus ac ſplendor rariſſimè inter mortales eluceat; ita ſapientiæ in principe nullum maius ac illuſtrius argumentum eſt qua ſapientũ virorum delectum habere, vt eorum conſiliis vti frui poſſit. Qua de re vide plura apud Bodinum *de Republi-*

ca

ca lib. 3. cap. 1. Tertiò iudicium hominum ſecularium de veritate religionis Chriſtianæ. Quarto difficultas ſcientiæ legalis, quæ & profunda eſt, & paucis ex fundamento cognita, quam nemo niſi doctiſſimis præceptoribus vſus, niſi multa ætate & iuris ſtudio verè aſſequetur, Vaſqui. *de ſucceſ. creat. part.* 1. *lib.* 1. *num.* 3. Mantuam in *Polymathia libro* 5. *cap.* 6. 7. Franciſcus Marcus *parte* 1. *deciſ. quæſt.* 803. Quinto nullum dignitatis & honoris faſtigium tam ſublime eſſe, ad quod iuriſprudentia ſui ſtudioſum non poterit euehere, *leg. Diui fratres. Digeſt. de iure patronatus. leg. ex diui, Cod. locati. leg.* 2. *Cod. de contrah. & committ. ſtipulat.*

Sexto eorum, quibus quantum legalis philoſophia ad animi tranquillitatem & Rempublicam tuendam profuit, tantum magiſtratuum moles nocuit, vt Caſſio Vlpiano Martiano, Cagnolus in *d. l.* 2. *de orig. iuris*. Vltimo & ſi ſint, qui ſtatuant ſapientem errare non poſſe, argumento *leg.* 1. *de officio præfecti prætor. l. humanum.* 8. *Cod. de legibus.* Tamen quam vmbratilis ſit literatorum eruditio & politicorum ſapientia perpetuæ eorum querelæ oſtendunt. Et hoc etiam argumento conſtat, quod de Republica quidem multi diſſeruerunt, nullus au-

autem vnquam repertus fuit, qui quam ipſe conceperat Reip. formam in aliquo populo conſtituere potuerit.

Ius gentium quamlibet conuentionem primis mundi temporibus admiſit & iudicauit idoneam ad inducendam obligationem & conſequendam illam regiam manum, qua mediante omnia expediebant̃ ante ꝑditas actiones, *l.2. in princ. de origine iuris.* nam principum voluntas, verba, nutus pro legibus initio fuerunt, ab iis curationes domi & militiæ manere ac precario dari ab iiſdem arbitrio ſuo reuocari conſueuerunt, *d. l.* Huius rei imago quædam hodie conſpicitur in ſummo principe, quando ſola facti veritate inſpecta citra ordinem iudiciarium, ſeu quocunque litigioſo proceſſu remoto, parte tamen citata, cognoſcit & iudicat, Afflictus in *cap.* 1. §. *inueſtitura. num.* 9. de noua forma fidelitatis. Neq; vero abſq; graui cauſa quodlibet pactũ iure illo obligabat, cum graue eſſet ea ætate fidem datam fallere, *l.* 1. *de pactis*, *l.* 1. *de conſtit. pec.* Sed ius ciuile Romanorum, quo hodie vtimur, non ita indiſtinctè, omnem omnino conuentionem vel pactum ad producendam obligationem efficax pronunciat, ſed eas ſolummodo, quæ non ſtant in nudo ſui generis nomine, textus eſt §. *ſed hac l. noſtra*. in quo

Vlpianus

*ſat.num.*36. Verum etiam ſimulatos contractus, in quibus conſenſus non eſt, Bald. in *l.erogaſti.§.ſi tibi.ſi cert. pet.* de quorum probatione vide Mandell. *conſ.*9.70.97. Mātuanum *conſil.*221.*tom.*2. Decianum *conſ.*62. *vol.* 3. & nouiſſimè Marſcard. *de probat. vol.*1. *concluſ.*4.35. *cum aliquot ſequentibus.* Conſenſum contrahentium ad eos reſtringo, qui lege contrahere non prohibentur: etſi enim regulare ſit, vt omnes poſſint contrahere, *l.ſicut, vbi Gl. & Dd. Cod. de act. & oblig.* cum Deus ne Imperatori quidem contractus ſubiecerit, Crauetta *conſil.*241. *num.*12. Cephal. *conſ.*302. *num.*119. Interdum tamen perſonæ ſtatus & conditio, interdum locus, interdum officium, interdum ætas, interdū intellectus infirmitas & mores leuiores libertatem contrahendi, ſi non in totum ſaltem aliqua ex parte impediunt; quid enim ſi ſerui indiſtinctè contrahere præſumant, quorum quidem conditio primis temporibus tam dura non fuit, vt ex ſacræ legis hiſtoria manifeſtum eſt, quod & bona propria ſibi ipſis acquirere, eaque poſſidere, dominis ſuis quandoque ab inteſtato ſuccedere, & forte in iudicio experiri potuerint. 2. *Samuel.*16. *Geneſ.*47. *Hiob.* 21. Alciat. in *l.paterfam.*182. *ff. de verborum obligatione.* Sed temporis ſucceſſu rigor

iuris

iuris ciuilis introductus eſt vt nulla ſit eorum obligatio, *l. in his.* 175. *l. ſeruit.* 209. *l. quod attinet. de regulis iuris.* Barr. in *l. ſi id quod. ff. de condit. indeb. l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iure.* Quid ſi incarcerati in carcere contrahant, quos contractus indiſtinctè non admittimus. Qua de re vide Menoch. *conſil.* 1. *lib.* 1. *num.* 271. *cum multis ſequentibus.* Ruinum *conſil.* 133. *volum.* 5. Comenſem *l. qui à latronibus. in prin. ff. de teſtam.* Petrum Peckium *de iure ſiſtendi cap.* 29. vbi, an contractus cum teſtato factus infirmari poſſet. Quid ſi tutor non interueniente contutoris, aut illo deficiente, iudicis autoritate & ſine cauſæ cognitione contrahat. Qua de re videatur Corraſ. *lib.* 6. *Miſcel. cap.* 14. & 15. Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 80. Cagnolum in *l. ſingularia. num.* 71. *cum ſequentibus. ff. ſi certum pet.* Quid ſi minor, aut etiã pupillus contrahendi facultatem ſibi arroget, cuius nomine ſoli tutori cõtrahendi facultas competit. *l. fin.* §. *pupillus, de reſtit. minor. l. contra, de pactis. l. pupillus. de act. & obligat. l.* 1. *de nouat.* Bellonus *de antinom.* cum eius ætatis ſit, vt non intelligat, quid agat, & quid videat, ignorat, *l.* 1. §. *fin. Cod. de falſa moneta.* Quid ſi ſenſu & intellectu deſtituti contraherent, vt fùrioſi, mente capti & phrenetici contra *l. in negociis ff. de regulis iuris. l.* 1. §. *furioſum.*

rioſum.de act.& obligat.l,ſi à furioſo.12.ff.ſi cert. pet. Quomodo autem probetur furor, videatur apud Did. in *Epit.* 4. *decretal. parte.2.cap.2.num.* 6. & Maſcar. *de probat. volum.*1.*concluſ.*52.& *volum.*2.*concluſ.*824. Quid ſi prodigus contrahat, cui tamen bonis interdictum eſt, qua de re videantur plura in *l.*15.*cui* 6, *vbi Corraſ.ff. de verb.obligat.* Eſt & cum de muto & ſurdo quæritur, quem quidem ab officio iudicis remouet Iuriſconſ.in *l.cum prætor.*12.§. *non autem.ff. de iudic.* Sed de eorum contractibus vide Corraſium in *l.*1.*num.*15.& *ſequentib.ff. de verborum obligat.* Cagnolum in *l.vti non voce.*167.*ff.de reg.iuris.* Tiraq. *de leg. connubialib. Gl.*7. *verb. expreſſo,num.*17.*cum ſequentibus.* Ad vtrunque ius gentium & ciuile contractus ideò refero, quod etſi iure gentium quo rerum dominia diſtincta fuerunt commercia introducta inſtitutique contractus ſint, *l. ex hoc iure.ff. de iuſt.& iure.* quibus opportuniſſimè foueretur humani generis ſocietas, *l. quid.de contrah. empt.* tamen cum per id hominum neceſſitatibus non ſatis proſpectum fuerit,ius ciuile aliquot contractus adiecit iuri gentium incognitos, vt Emphyteuſin, *l.*1. *Cod. de iure Emphyt.* §. *adeo. Inſtitut. locati.* qua de re vide Corraſ. *lib.* 1. *Miſcel. cap.* 21. conſtitutum, §.*de conſtituta. Inſtit.de act.* literarum

rarum obligationem, §. 1. *Inſt. de lit. obligat.* ſponſalitiam largitatẽ, §. 1. *Auth. vt ſponſal. largit. coll. 9.* Et ſtipulationem, *l. ea quæ ciuiliter, 5. ff. de acq. rer. dom.*

Quod autem in fine definitionis de contractuum neceſſitate ſubiicitur, confirmatione non indiget, cum eam vitæ communis vſus oſtendat. F. Burſat. *conſil. 228.* Et alioqui planum ſit, contractus vltimis voluntatibus eſſe magis neceſſarios & digniores, cuius rei cum cauſas quærerem, has cauſas inueniebam quatuor. Prima: Quia decedimus ſæpè inteſtati; quo caſu lex teſtatoris vice fungitur, & hæreditatem iis aſſignat, quib. debetur; aut ſi teſtati morimur, non niſi vnico teſtamento confecto, cui ſtandum eſt, decedimus, §. *poſteriore. Inſtit. quib. mod. teſtam. infir.* Nemo autem noſtrum eſt, quem non ineuitabilis neceſſitas cogat ſingulis diebus, aut etiam horis contrahere. Secunda propter antiquitatem, cum ipſis quippe hominibus cœperunt contractus, *l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iure.* cum quidem teſtamenta longè ſint recentiora, adeò, vt non deſint, qui ſtatuant, ea iuri gentium fuiſſe incognita, ſed tantum iuri ciuili, *l. 3. de teſtam.* ſicut & aliæ ſucceſſiones, Bart. in *l. 1. de acquir. hæred.* Tertia: Teſtamenta viuis non proſunt, ſed defunctis & poſt eorum demum mortem aliis quoque, *l. qui*

l.qui ſuperſtitis.ff.de acq.hær. Contractus vero proſunt contrahentibus in vita & poſt mortem, ac etiam aliis, *l.auus.ff.de pact. l.ſi pactum. de probat.* Quarta: Contractus ſunt firmiores vltimis voluntatibus; cum dependeant à conſenſu duorum vel plurium, & ſint irreuocabiles, *l.ſicut.Cod.de act.& oblig.* vltimæ autem voluntates, præterquam quod ex ſolo morientis, non & aliorum arbitrio dependeant, ſunt ambulatoriæ vſque ad mortem, *lege quarta. de adimen. legat.*

REPE-

REPETITIO
Leg. *iurisgentium*.7. *Digeſt. de pactis.*

AVTOREM noſtræ legis laudamus Domitium Vlpianum ex Syriæ Phœnice ſplendidiſſima Tyriorum Colonia oriundum, *l.infra de cenſib.* cuius conſilio Alexander in talem ac tantum euaſit principem, vt ſub eo florentem Imperii dignitatem Conſtantinus demiraretur: hoc vnicum illius prudentiæ defuit, quod Chriſtianam religionem adeo inſectatus eſt, vt non tantum ſanctiſſimam Chriſti fidem Iudaicam ſuperſtitionem quoque dixerit, *l.generaliter.3.§.fin.ff.de decurionibus.* Verum etiam ſeptē libros detorquendis Chriſtianis, non ad hiſtoriæ cognitionem, ſed ad ſuppliciorum acerbitatem ſcripſerit, Bodinus in *methodo hiſtorica, cap. 4. mihi fol. 65.* Is primum Papiniani diſciplina imbutus eidem prætorii præfecto aſſedit. tandem præfectus prætorio & ipſe factus, dum quidem ali-

aliquandiu prætoris in vrbe Roma aſſeſſor, *leg. metum.* 8. §. *ſed ex facto. Digeſt. quod metus cauſa.* & Alexandriæ imperatoris ſacrorum ſcriniorum magiſter & conſiliarius fuiſſe noſtræ leges honorificè eius mentionem faciunt nobilem dicendo, *leg.* 2. §. *fin. l. diximus.* 4. *de excuſat. tutor.* ſapientiſſimum, §. *fin. Auth. de æqualit. dot.* collatione 7. Egregium *leg.* 2. §. *ſi quidem aliquis. Digeſt. qui pet. tutor.* ſummi ingenii virum, *leg. vnica.* §. *ſed vt manifeſtetur. Cod. de cad. toll.* Coryphæum legum, *l. ſcire oportet.* 13. §. *ſed etſi de excuſ. tutor.* diſertiſſimum, *leg. cum quidam. Cod. de inſtitut.* amicum & parentem Alexandri, *l. & diui. Cod. locati.* 4. *l. facundum. Cod. de contrah. ſtipulat. &c.* Ab Hediogandulo tandem cum ignorantia dignitate remotus eſt, Dd. in *dict. leg.* 2. §. *fin. de orig. iuris.* præſertim Cagnolus. Subſtitit aliquando in aſſequenda Pomponii ratione, *leg. Pomponius.* 13. *de recept. arbitr.* quare iſte compromiſſor, cuius fit ibi mentio, dubitauerit; cum tamen ibi duplex afferatur ratio. Quare altera reiicitur, altera probatur, ratiocinatus eſt etiam aliquando inconcinnius, *leg. patre furioſo. Digeſt. de his qui ſunt ſui, &c.* Ex hac breui narratione notandus primo amor patriæ, in quo exprimendo ipſam naturæ vocem Scæuola expreſſit, *l. qui habebat.*

bebat. 29. *de leg.* 3. Accurſ. in *leg. fin. Cod. ſi ſeruus exportandus, &c.* Vnumquéq; enim locus, qui naſcentem primum excepit, quamuis aſperi, ſolitarii, aut inculti, vel etiam ſterilis iucunda quadam recordatione afficit, adeo vt vel ſapientiſſimo cuique viro paternus etiam fumus quis igne videatur eſſe luculentior argumento *canon. omni.* 32. *quæſt.* 8. tradit Gloſſ. in *l. fin. Cod. de abolit. cap.* 1. *de conuerſ. infidel.* Vnde videmus optimos quoſque ex gentibus, quod quidem ſapientia & virtute commendantur patriæ ſuæ fuiſſe amantiſſimos, Tiraq. *de legibus connubialibus. l.* 7. *parte* 7. *Gloſſ.* 1. *nu.* 65. 66. *cum ſequentibus.* Marcum Mantuam *lib.* 12. *polymathiæ cap.* 5. Secundo ſumma principis felicitas, cuius lateri Deus adiunxit ſapiens conſilium, *Prouerb.* 15. *can. Eccleſia* 16. *quæſt.* 1. Caſſanæus in *proœm. conſuetudinum Burgundicarum. verb. ordundæ. num.* 1. 2. *&* 3. Vt autem nihil magis optandum, quam vt prudentium hominum conſiliis magiſtratus gubernetur, cum quidem ſapientiæ decus ac ſplendor rariſſimè inter mortales eluceat; ita ſapientiæ in principe nullum maius ac illuſtrius argumentum eſt quã ſapientũ virorum delectum habere, vt eorum conſiliis vti frui poſſit. Qua de re vide plura apud Bodinum *de Republica*

ca lib. 3. cap. 1. Tertiò iudicium hominum ſecularium de veritate religionis Chriſtianæ. Quarto difficultas ſcientiæ legalis, quæ & profunda eſt, & paucis ex fundamento cognita, quam nemo niſi doctiſſimis præceptoribus vſus, niſi multa ætate & iuris ſtudio verè aſſequetur, Vaſqui. *de ſucceſ. creat. part.* 1. *lib.* 1. *num.* 3. Mantuam in *Polymathia libro* 5. *cap.* 6. 7. Franciſcus Marcus *parte* 1. *deciſ. quæſt.* 803. Quinto nullum dignitatis & honoris faſtigium tam ſublime eſſe, ad quod iuriſprudentia ſui ſtudioſum non poterit euehere, *leg. Diui fratres. Digeſt. de iure patronatus. leg. ex diui, Cod. locati. leg.* 2. *Cod. de contrah. & committ. ſtipulat.*

Sexto eorum, quibus quantum legalis philoſophia ad animi tranquillitatem & Rempublicam tuendam profuit, tantum magiſtratuum moles nocuit, vt Caſſio Vlpiano Martiano, Cagnolus in *d. l.* 2. *de orig. iuris.* Vltimo & ſi ſint, qui ſtatuant ſapientem errare non poſſe, argumento *leg.* 1. *de officio præfecti prætor. l. humanum.* 8. *Cod. de legibus.* Tamen quam vmbratilis ſit literatorum eruditio & politicorum ſapientia perpetuæ eorum querelæ oſtendunt. Et hoc etiam argumento conſtat, quod de Republica quidem multi diſſeruerunt, nullus au-

autem vnquam repertus fuit, qui quam ipſe conceperat Reip. formam in aliquo populo conſtituere potuerit.

Ius gentium quamlibet conuentionem primis mundi temporibus admiſit & iudicauit idoneam ad inducendam obligationem & conſequendam illam regiam manum, qua mediante omnia expediebant ante ꝑditas actiones, *l. 2. in princ. de origine iuris.* nam principum voluntas, verba, nutus pro legibus initio fuerunt, ab iis curationes domi & militiæ manere ac precario dari ab iiſdem arbitrio ſuo reuocari conſueuerunt, *d. l.* Huius rei imago quædam hodie conſpicitur in ſummo principe, quando ſola facti veritate inſpecta citra ordinem iudiciarium, ſeu quocunque litigioſo proceſſu remoto, parte tamen citata, cognoſcit & iudicat, Afflictus in *cap.* 1. *§. inueſtitura. num.* 9. de noua forma fidelitatis. Neq; vero abſq; graui cauſa quodlibet pactũ iure illo obligabat, cum graue eſſet ea ætate fidem datam fallere, *l.* 1. *de pactis*, *l.* 1. *de conſtit. pec.* Sed ius ciuile Romanorum, quo hodie vtimur, non ita indiſtinctè, omnem omnino conuentionem vel pactum ad producendam obligationem efficax pronunciat, ſed eas ſolum modo, quæ non ſtant in nudo ſui generis nomine, textus eſt *§. ſed hac l. noſtra.* in quo Vlpianus

Vlpianus perſequitur diuiſionem pactorum, quam in *l. 5. conuentionum ſupra hoc tit.* tradiderat, eaſque in duo genera, publicum ſcilicet & priuatum diduxerat: de publicis hic nihil, ſed de priuatis, quorum aliquæ ſunt legitimæ, aliquæ iuris gentium: hæ autem habent proprium nomen contractus & actiones pariunt, aut non habent, ſed ſunt nuda & ſimplicia, quibus actionem denegandam, eaſq; honeſtæ cuiuſuis volũtati, religioni & fidei relinquendas eſſe placuit; cũ ingenioſa ſit hominum cupiditas ad excogitandos litigandi prætextus, verum etiam ad eoſdem differendos, adeo vt plerunque lites immortales mortalibus hominibus ſint ſuperſtites, argumento *l. etiam. 15. ff. vt legat. nomine caueatur.* Cuius rei occaſione Dd. hic tradunt, catalogum & naturam innominatorũ contractuum, qui etiam dicuntur cõuentiones ob rem, *l. in ſumma. 65. §. quod ob rem. ff. de condict. indeb. l. naturalis. 5. in princ. ff. de præſcript. verbis.* Quorum quatuor recenſentur. I. *Do vt des.* II. *Do vt facias.* III. *Facio vt des.* IV. *Facio vt facias.* Plures enim per rerum naturam excogitari poſſe negauit Iaſon in *dicta lege naturalis. num. 3.* Adeò, vt communi Doctorum ſuffragio receptum ſit, permutationis contractum eſſe innominatum, & quidem eundem, quem vocat Iuriſ-

Iuriſconſultus *do vt des*: qua de re videantur plura apud Coraſium *lib. 2. Miſcellan. cap. 15.* Vacunium à Vacuna *lib. 1. declarationum iuris ciuilis cap. 14. 41. 42.* Ratio ſanè contrahendi vetuſtiſſima; cum rerum ſpecies à mundi exordio creatæ ſint, atteſtantibus id ſacris literis, & *l. 1. ff. de contrah. empt.* ad cuius ſubſtantiam requiritur, vt ab vtraque parte ſpecies præſtetur; nam ſi ex altera parte præſtetur quantitas, fines permutationis tranſibit, & conſtituetur emptio; *d. l. naturalis. §. ſiquidem. de præſcript. verbis.* Huic affinis eſt contractus Cambii; cum ſit permutatio quædam de re ad rem, de perſona ad perſonam, Iaſon in *l. naturalis. numer. 10. ff. de præſcript. verb.* Vnde etiam Cambii verbo pro permutatione vſa ſunt iura feudalia, *cap. 1. §. ſi quis fecerit. quo tempore miles. cap. 1. §. cum autē. de controuer. inueſtit.* de quo contractu videātur plura apud Decianum *conſ. 109. num. 13. 15. 81. 88.* Et nouiſſimè Maſcardum *de probat. vol. 1. concluſ. 255.* Vbi traditur, quam probationem faciant Campſoris libri, quam item obligationem literę Cambii inducant. Hoc tamen non omittendum, quod Campſores, qui ſemel literas Cambii non repugnantes receperint, non poſſint ſecundum Salicetum contradicere ſolutioni, *l. ſi filiusfam. 18. ff. ad Macedon.* Etiamſi is, qui literas ſcripſerit, foro ceſſerit, aut ſolum

verterit, hoc eſt, menſariam negociationẽ ruperit, ſeu, vt craſſius & cum vulgo loquar, bancam ruptam fecerit (**banckeн rotten gemacht**) Per literas enim acceptatas dicitur facta q. quędam copulatio conſenſus duorũ ſimultanei, teſte Baldo in *l. 2. de pactis.* & probatur in *l. qui autem* 14. *in fin. ff. de conſtit. pecun.* & eſt Gl. in *l. conſenſu.* 2. *verb. conſentire. de act. & obl.* Sic etiam diuiſio à fratribus ſuſcepta, quædam eſt permutatio, Bart. in *l. diuiſionis. ff. de pactis.* Bald. in *Rubr. C. de rerũ permut. verſ. quid in diuiſione* cum aliis, quæ allegat Decianus *conſil.* 39. *qua facti ſpecie, n.* 102. *vol.* 2. Et ne videantur ad huius rei confirmationem allegari tantum poſſe emendicata Doctorum ſuffragia, textus eſt expreſſus in *l. cum pater* 79. §. *hæreditatem poſt mortem. ff. de legat.* 2. *l. ciuilia.* 22. §. *ſi pater. ff. familiæ Herciſc.* Huc referri poteſt etiam donatio remuneratoria, quæ non eſt mera, ſimplex, gratuita & propriè donatio, ſed potius quædam beneficiorum permutatio, compenſatio & titulus oneroſus, *l. Attil. Regulus. ff. de donat. l. ſed ſi lege.* 28. §. *conſuluit. in fin. ff. de petit. hæredit.* vbi etiam Baldus, Cotta in *memorabilibus, verb. donatio facta filio.* Sic donatio inter patrem & filiumfam. vix eſt vt conſiſtat, *l. donationes.* 25. *C. de donat. inter vir. & vxor.* Sed ex cauſa remunerationis valet, Gl. Bart. & Dd. in *Auth. vnde ſi parẽs, C. de inoff. teſtam.* Etſi autem non deſint, qui

aliqua

aliqu i poſſe cõſtare filii in parentẽ merita negent, quæ non potius ex naturali officio & pietate, & ita magis ex debito, quã ex liberalitate proficiſcantur, adeoque patrem obligare ad remunerationem poſſint: tamẽ non dubium eſt, quin filii etiam ita ſuis officiis parentes demereri poſſint, vt ad remunerationem eos moueant. textus eſt expreſſus in § 1. *in princ. Auth. de non eligendo ſecundo nubentes. l. de emancipatis. in princ. Cod. de legit. hæred. l. cum pater 79. §. rogo. de legat. 2. l. 1. § toties. ff. de collat. bonor. l. fœminæ. in princ. Cod. de ſecundis nupt.* qua de re videantur plura apud Tiraq. in *l. ſi vnquam. verb. donatione. num.* 18. 19. *cum multis ſequentib. Cod. de donationib.* Iaſon in *l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iure.* Quia verò mixtum comprehenditur ſub ſimplici, *l. 2. ibi Gl. Bart. & Dd. de verb. obligat.* non incommodè huc referuntur contractus illi, qui propter dubium & fortuitum euentum ſummam in contractu deductam duplicant, vt ſi promittam me iturum in terram ſanctam & illius profectionis intuitu dem tibi meum annulum, ita vt tu mihi reuerſo des annulos duos, cuius conuentionis in euentum felicioris reditus, nuptiarum, mortis vel ſacerdotii, aut etiam nati maſculi filii, conſtitutæ meminit Molin. in *tract. de vſuris, nu.* 816. Vbi tamen contractus aleatorios, prætextu vulgatæ quidem, ſed parum digeſtæ ſummę

paritate lucri vel damni promiſcuè non eſſe tolerandos aſſerit: cuius tamen opinio controuerſia non caret, cum ex actu, qui ſe ab initio poteſt habere tàm ad commodũ, quam ad incommodum, nemo lædi intelligatur, *l. de fideicommiſſ. 11. Cod. de tranſact.* Iaſon & Dd. in *l. ſi pater puellæ. 12. Cod. de inoff. teſtam.* Et illud, quo quis læſus eſt, cum vtilitate, quam conſequi poterat, ſi euentus aliter cecidiſſet, compenſari debeat per multa, quæ allegat Decianus *conſil. 39. num.* 111. *vol. 2.* Inter ludendum tamen eiuſmodi contractus celebrati permiſſi non ſunt, Bart. in *l. ſi quis cum ſciret. in fin. de vſucap. pro emptore.* Qua de re vide plura apud Lancelotum Corradum in ſuo *prætorio, fol.* 420. Ad hanc primã contractuum innominatorum ſpeciem non incommodè referri poſſunt ſponſiones, quæ hinc inde interdum etiam inter mercatores vſitatæ ſunt, propter pericula, quæ ipſorum mercibus noctu & interdiu in nauigationibus ſunt obuia, *Auth. nauigia. C. de furt. l. cum dicas. C. de nautico fænore.* Vnde etiam nauarchos & triarchos iure militari teſtari poſſe, nulla dubitatio eſt, *l. vnica. ff. de bonor. poſſ. ex teſtam. milit.* cum aduerſæ maris procellæ nemini parcant, argumento *l. 1. de donat. cauſa mortis.* Vbi mare homini prudenti & crudeli æquiparatur. De hoc & aliis ſpõſionum generibus vide tractatum Boneuen. Strach.

Secun-

Secundus contractus innominatus eſt *Do vt facias*, ad quem primò refero donationẽ ob cauſam, in qua non exigitur inſinuatio, Bart. Angel. & cæteri in *l. ſi pater. §. 1. per illum text. de donat. in l. licet. column. vlt. C. de pactis*. cũ multis aliis quæ allegat Bar. *conſil. 26. nu. 59. lib. 3.* Menoch. *conſil. 1. n. 376. vol. 1.* Dec. *conſil. 39. n. 170. vol. 2.* Clarus *§. donatio. quæſt. 16. n. 6.* Nec poteſt reuocari ob ingratitudinem, *l. ſi pater. §. 1. verb. irreuocabilis. de donat.* not. in *l. Attilius. d. tit.* Gl. in *l. fin. verb. inueniatur. C. de reuoc. donat.* quam ſequũtur communiter Dd. teſte Ripa in *d. l. fin. quæſt. 43.* cum nõ ſit propriè donatio vel liberalitas. Plura de donatione ob cauſam legantur, apud Burſatum *conſil. 304. 34. vol. 3.* Deinde refero huc contractum, cuius fit mentio à Iureconſulto in *l. Titius. ff. de præſcript. verbis.* in quo Titius. 30. Sempronio dedit adiectis pactis. Primùm, vt Sempronius ex reditibus vel vſuris ſemiſſibus eius pecuniæ tributum ſolueret ciuitati, cui Titius annuum debebat. Deinde, ſi tributum minus eſſet vſuris, vt reſiduũ vſurarum redderetur Titio.

Tertiò, ſi maius eſſet tributum vſuris, de ſorte tunc præſtaretur reliquum tributi.

Quartò ſi tributum & ſorte & vſuris eſſet maius vt eo caſu Sempronius ex ſua pecunia tributum impleret à Titio pecuniam à ſe erogatam repetiturus. Huc etiam perti-

net contractus commentæ, ſeu ſocitæ; per quem dantur animalia ruſticis ſolam operam impenſuris, vt lucrum & damnũ commune ſit inter dominum animalium & ruſticum. Qui contractus vt licitus reputetur, neceſſe eſt, vt tradens ſuſcipiat in ſe periculum caſus fortuiti, ſi animalia minus venderentur, quam empta fuerunt, vt eo caſu accipiens non teneatur ad reficiendum id, quod deficit capitali. Philippus Corneus in *l. ſi paſcenda. nu.* 10. *C de pactis.* vbi etiam Franciſcus Curtius Dd. in *l. cum duobus.* §. *ſi in coeũda.* & §. *damna. ff. pro ſocio.* Franciſcum Mart. *part.* 1. *deciſ.* 888. Matth de Afflictis *deciſ.* 58. Caſſanæum in *conſuetud. Burgundicis in l.* 4. §. 23. *num.* 54. *mihi fol.* 774. Sicut itaque in iure vocantur Coloni partiarii, qui cum locatoribus damna & lucra quaſi iure ſocietatis partiuntur, *l. ſi merces.* 28. §. *vis maior. ff. locati.* Ita pecora partiaria veteri verbo vocantur, quorum vtilitas ex pari domino & paſtori debetur. Eiuſmodi quid eſt, quandò olim citra interuenientem ſtipulationẽ promiſſa fuit marito dos, vt inde alatur vxor, & maritus onera matrimonii ſuſtineat, *l. dotis fructum. de iure dot. l.* 3 § *ſed vtrum. de minor. l. pro oneribus. C. de iure dot.* neque enim dos vti mera donatio titulus eſt lucratiuus, ſed potius oneroſus, Accurſ. in *l. ſi donaturus.* 9. §. *fin. de cõdict. cauſa data.* quod verum eſt reſpectu mari-

ti, *d.*

ti, *d. l. oneribus.* vbi Bartolus: aut filiorum dotem petentium *l. promiſſione. 19. ff. de act. & oblig.* Nam reſpectu mulieris dicitur eſſe titulus lucratiuus, & ad mulieré aliquid ex donatione perueniſſe, *l. fin. § ſi à ſocero. quæ in fraud. credit.* Ea de cauſa dos iam data non reuocatur prætextu ingratitudinis, quamuis interim pater ratione ingratitudinis nõ teneatur filiam dotare, Baldus in *l. fin. colum. 2. C. de dotis promiſſ.* cum alijs, quos refert & ſequitur Iohannes, locus in *repet. cap. per veſtras. § 4. n. 6. de donat.* Etſi itaque ſine dote matrimoniũ conſiſtit, *l. fin. C. de repudiis.* tamen humanius eſt, mulieres aliquo ſaltẽ modo dotatas eſſe, *l. ſi ego. 10. § . 1. ff. de iure dot. l. apud Celsũ. 4. §. ſed et ſi mulier. ff. de except.* Vnde non abs re imperator in *l. fin. circa princ. C. de iure dot.* mulieré indotatã infelicẽ appellauit, idq; propter vtrunq; cõiugum, cum fieri poterit, vt indotata mulier à marito cõdemnetur, Tiraq. in *tract. ceſſante cauſa, limitat. 22. n. 9.* Quæ tamẽ hac de re dicta ſunt, nõ aliter obtinẽt, quam eo caſu, quo dos promiſſa eſt, abſque ſtipulatione, quam hodiè fauore dotis ſemper interuenire præſumimus, Menochius *de præſumpt. lib. 3. cap. 5.* per totum.

Tertius contractus innominatus *facio vt des*; ad hanc contractuum innominatorum ſpeciem refertur contractus aſſecurationis, in quo ſuſcipitur periculum, vt detur pecu-

nia; cum enim ſummum bonum in vita humana ſit iuſtitiam colere & ſuum cuiq; tribuere, *can. cum deuotiſſimam. 12. quæſt. 2.* quippè qua rerum omniũ publicarum poſt Deũ immortalem fundamenta nituntur: cum quidẽ iniuſtitia faciat vacillare corda ſubditorũ à ſuis principibus, Paris de Puteo in *tractat. de ſyndicatu. §. an ſi rerum Siciliæ. numer. 3.* Magiſtratus & domini terrarum, præſertim Guidagia recipientes, in hanc curam diligenter incumbere tenentur, vt in ſuo quilibet territorio tuta atque ſecura proficiſcentibus itinera præbeat, Bald. in *cap. 1. §. conuenticula. nu. 7. de pace iuram. firm.* Archidiaconus in *can. ſi quis peregrinos. 24. quæſt. 3.* Matth. de Afflictis in *cap. 1. verb. vectigalia. n. 9. & 108. quæ ſint regal.* Cagnolus in *l. culpa caret. nu. 11. de regul. iuris.* adeò, vt ſi rapina vel deprædatio in eorum ditione etiam per extraneas perſonas committatur, ipſi ad damni emendationem obligati ſint, Bald. modò citato in loco, Bart. in *l. ne quid. & Angelus. de incẽd. ruina, naufr.* faciunt ea, quæ tradit Vaccius *conſ. 4.* poſt conſilia Modeſtini, dummodò eius potentiæ ſint, quæ prohibendis, aut etiam impediẽdis eiuſmodi ſceleratiónibus, molitionibus ſufficiant, nõ prohibuiſſe autem tum videtur, ſi cuſtodias publicas in locis inſidioſis locare poterant, ſed non locarũt, Bald. in *d. cap. 1. §. conuenticula.* Inde ſtationarii mi-

rij milites olim appellati ſunt, qui locis hoſtium finitimis & imperii limitibus tuendis ſeruierũt, *l.1.§.quies ff.de off.præfect.vrb.l.Limnarchæ de ſeruis fugit. l.in nomine. 2. §.ſicut ergo. Cod.de off.præfect.prætor Africæ l.fin.de muner.& honor.l.non idcirco.Cod.de liberali cauſa.* Quam quidem ſecuritatem publicę vtilitatis ratio exigit, cum publicè interſit ſine metu & periculo per itinera vagari, *l.1.§.ſumma.ff. de his qui deiecer.vel effuderunt.*

Contractus quartus innominatus *facio vt facias*, ad quem refero tranſactionem, qua in re triplex oritur difficultas, & quòd non deſint, qui hanc cõtractum eſſe negent, & qui nominatum eſſe affirment, & quod illi, qui inter contractus innominatos referũt, ad alias potius, quã ad hanc vltimam ſpeciem referre eam videantur.

Tranſactionem non eſſe propriè cõtractum, tradit Gl. in *l.contractus.16. C. de fide inſtrum.* Sed verius eſt, contractum eſſe, *dict.l. contractus. l. cum te tranſegiſſe. 5. C. de tranſact.l. vlt.C.de litig.l.ſi donationis. 7. in fine. C. quod metus cauſa.*

Etſi etiam Coraſius *lib. 1. Miſcellan. cap. 23.* tranſactionem inter contractus nominatos referat; tamen obtinuit crebrior ſententia eſſe contractum innominatum, Bart. & Dd. in *l.ſiue apud acta.28.C.de tranſact.* Fort. Garria in *l.1.§.conuentionis.n.5.hoc tit.*

Secundum verò diuerſos tranſigendi caſus ad alias etiam contractuum innominatorum ſpecies hanc referri poſſe, teſtatur Petrus de Bellapertica in *d. l. ſiue apud acta. nu. 21. 22. C. hoc tit.*

Cæterum differunt contractus nominati & innominati. Primùm in nominatis non habet locum pœnitentia, *l. ſicut. 5. C. de act. & oblig. cap. quod ſemel. de Reg. iur. in 6.* Secus in contractibus innominatis, in quibus pœnitere permiſſum eſt, *l. ſi pecuniam. & ibi Dd. præſertim Bart. & Iaſon. de condict. ob cauſ. l. dedi. 3. §. ſed ſi tibi. ff. d. tit.* Qua de re vide plura apud Dd. in *d. l. ſi pecunia.* Hieron. Verium ſuper Rubr. *de verb. obl.* Fort. Garriam hic circa finem. Ab hac tamen iam differentia eximitur tranſactio, in qua locum pœnitentia nõ habet, *l. quamuis. 39 & ibi Bart. Cod. de tranſact.* Licet in contractibus nominatis nõ habeat locum condictio ob cauſam, ex capite cauſæ vel implementi non ſecuti, ſed ſit agendum ad implementum contractus, vel ad id, quod intereſt, *l. fin. de condict. ob cauſ. l. 1. & ibi Iaſon. de rerum permut. l. in ciuile. 12. C. de rei vind.* Secus tamen in contractibus innominatis, *d. l. dedi, §. ſed ſi tibi. d. l. ſi pecuniam.*

Licet contractus nominati, qui conſenſu contrahũtur, etiam ex interuallo poſſint contrahi, Gl. in *l. ſi ſtipuler §. fin. vbi Dd. de ver. obl.* tamen in contractibus innominatis interual-

teruallum vitiat, *l. ſi cum fundum. 37. vbi Gl. & Dd. de pactis.* Plura de differentiis horum cõtractuum vide apud Dd. hic.

Ad §. ſed et ſi.

EX omni conuentione, etſi ſpeciali nomine careat, modo ſimplex, nuda & mera non ſit, ſed præter verba & conſenſum aliquid vlterius contineat, naſcitur ciuilis actio, tex. eſt hic, & *l. ſi dominus. de præſcrip. verbis.* Vnde meritò notatur à Martiano Iulianus hic, qui nullam hoc caſu actionem iure ciuili proditam cenſuerat. Quod etiam alibi factum eſſe legimus, id quod reprehendendum non eſt, ſi modeſtè fiat, *l. 2. §. ſi in diē. ff. pro emptore.* vbi Paulus modeſtè alium, & quidem ſuppreſſo nomine reprehendit, *l. lecta. 40. §. pactum autem. ff. ſi certum petatur.* ibi quidam dicebat, ad ſortis ſolutionem pertinere, *l. ſed adultero. 11. §. 1. ff. de negoc. geſtis. l. eſt differentia. pen. ff. in quib. cauſis pignus.* vbi Iureconſultus deriſus fuit: non quidem inſultãdo; nec enim ſolent prudentiſſimi iuris autores alii alios inſultare; ſed argumentãdo, cũ oppoſita ratione certa eius cautioni cæteri aſſenſi non ſunt, qua de re vide Cuiaciũ *lib. 17. obſeru. cap. 19.* Imò Celſus patris etiam ſententiam reprehendit in *l. dedi. 3. §. ſi quis quaſi ſtatu liber, verſ. ſed ſi ſeruus. de condict. cauſa data.* Etſi etiam diſcipulus præceptoris ſententiam

tentiam ſi non tueri, ſaltem excuſare debeat, *l. dicere. 23. ff. de arbitr.* Tamen Ser. Sulpitius libros integros compoſuit de erratis & notis ſui præceptoris Scæuolæ, *l. Mutius. 30. ff. pro ſocio.* fortè ea contumelia affectus, qua cum Mutius notauerat in *l. 2. §. Seruius autem. de orig. iuris.* ibi; *turpe eſt patritio, &c.* Circa hæc notāda difficultas, quæ ex *l. naturalis. 5. §. quod ſi faciam. ff. de præſcript. verbis.* oritur: nam ſi faciam vt des, & poſteaquam feci, ceſſes dare, nullam fore ciuilem actionem, ſed te dolo dare Iureconſultus ibi reſpondet. Cum tamen ex text. hoc noſtro manifeſtum ſit ex contractibus innominatis actionem præſcriptis verbis competere, faciunt ea, quæ traduntur in *l. commota. C. de tranſact.* Cuius difficultatis ſolutionem probabilem affert Ant. Goueanus *lib. 2. variarum lectionum cap.* 28. in hunc modum: quòd actio præſcriptis verbis ex iis tantummodò contractibus innominatis detur, qui alicuius certi & nominati contractus naturam redolet, *l. 1. §. ſi quis ſeruum, ff. depoſ. d. l. naturalis. §. ſed ſi facio.* Cum autem contractus facio vt des, neque nominatus ſit, neque nominato ſimilis, actio certa ex eo dari non poteſt, vnde itur ad actionem de dolo, quam prætor ſe daturum pollicetur, vbi alia actio in promptu non eſt, *l. 1. §. 1. ff. de dolo.* huius ſolutionis autor eſt Antonius Goueanus *lib. 2. var. lect. cap.* 28. videatur et-

tur etiam hac de re Coraſius *lib. 2. Miſcell. cap.* 10.

Ad §. ſi ob maleficium.

EXcipit hic §. eas conuentiones, quæ cauſa non honeſtâ nituntur, vel quia cõtrahentes ad delinquendum inuitantur, *l. ſi vnus.* 28. §. *illud. de pactis. l. conuenire.* 5. *de pactis dot.* vel quia alioqui contra bonos mores, adeóque nullius momenti ſunt, *l. ex eo.* 4. *C. de inutil. ſtipulat.* Quæ enim non niſi turpiter fieri poſſunt, ea nec facere nos poſſe credendum eſt, *l. filius.* 15. *de condit. inſtitut.* & id duntaxat poſſumus, quod de iure prohibitum *l. Nepos Proculo.* 125. *ff. de verb. ſignific.* adeo vt iura prohibita dicantur impoſſibilia, *l. idem Iulianus* 42. §. *fin. de legat.* 1. Cuiuſmodi quid eſt, quod Ireconſultus in *l.* 2. *de condict. ob turpem cauſam.* recitat, vbi dans iudici pecuniam, vt iuſtam in eius cauſa ſententiam pronunciet, turpiter agit, & propter præſumptam iudicis corruptionem crimen contrahit, propter quod cauſam alioqui iuſtiſſimam perdere meretur, *can. non ſanè.* 13. 14. *quæſt.* 5. Iuſtitia enim æſtimationem non recipit, nec eius opera ſunt venalia, adeò vt malè accipiatur, quicquid etiam ad maturandam cauſam alioqui iuſtiſſimam à iudice accipitur. Qua de re vide Boerium *deciſ.* 153. per totũ, Boſſium in tit. *de officialib. pecunia corruptis.* Vt ita da-

ita datum ob cauſam neceſſariam, ad quam recipiens alioqui ratione officii obligatus eſt, omninò debeat reſtitui, *cap. cum ab omni. de vita & honeſt. clericor. can. qui rectè. 11. quæſt. 3.* Sic nec teſtis ad dicendam veritatem precio vel pecunia poteſt conduci; cum alioqui ad teſtimonium veritati perhibendum ex lege iuſtitiæ obligatus ſit, *can. nolite timere, 11. quæſt. 3. cap. intimauit. de teſtib.* Vide Maſcard. *de probationib. vol. 2. concluſ. 746. & 688.* item *vol. 1. concl.* 454. Pro labore tamen itineris in eoque factis expenſis licitè quid à teſte accipitur, *cap. ſtatutum. §. proferendo teſtim. de reſcr. in 6. l. quoniam liberi. 20. C. de teſtib. can. vlt. venturis. 4. quæſt. 3.* Alioqui qui falſa indicia confeſſus fuerit, confitendaque curauerit, quo quis innocens cōdemnaretur, pœna l. Corneliæ puniendus eſt *l. eiuſdē. 3. §. fin. ff. ad l. Cor. de ſicar.* Sic inuentor rei alienæ abſque vlla mercede ad eius reſtitutionem vero domino faciendam obligatus eſt. *can. ſi quid inuenisti. 14. quæſt. 5. l. falſus. 44. §. qui alienam. ff. de furtis.* qua de re vide plura apud Didachum in relectione *c. peccatum. de R. I. in 6. parte 2. §. 3. n. 1. 2. 3 cum ſequentibus.* Eſt & cum quæritur, an liceat iuſtè litiganti aduerſarium dolis fallaciiſque impetere, etſi autem Didachus *lib. 1 var. reſolut. cap. 2.* & Tiraquel. in *præfat. de retractu n. 191. 72.* tale quid aduocato indulgēt vt ſcilicet in iuſta cauſa ad euitandas partis aduer-

aduerſæ calumnias, & fucos, vel victoriam in lite obtinendam, vti poſſit eiuſmodi verſutiis, tamen omninò rationem habendam eſſe iudicio eius. quod habetur *Exodi* 16. ibi; *quod iuſtum eſt, iuſtè perſequaris.*

Ad §. *ſed cum nulla* iuncto §. *quin imò.*

CONuentio, cui nulla ſubeſt alia præter conſenſum cauſa, quam Iureconſultus hic propterea nudam nominauit, nō eſt ad producendam actionem efficax, textus eſt hic, & *l. ſi tibi.* 27. *C. de pactis.* vide Coraſ. *lib.* 1. *Miſc. cap.* 1. Fieri enim poſſet, vt vel iocandi, vel oſtentandi omnium quid promittatur, ab iis, qui non ſperabant fore, vt acceptaretur ab aliis eiuſmodi promiſſio, quos ideò obligari lex æquum non iudicauit *l. ſciendũ.* 19. §. *edictum. de ædilit. edicto. l. obligationum ſubſtantia* 3. §. *fin. de action. & oblig. cap. literaturam.* 3. *de voto & voti redempt.* Inde non abſque ratione inducta ſtipulationum ſolennitas, vt ex parte ſtipulantis præcedat interrogatio, quam poſteà promittentis congrua ſubſequatur reſponſio, *l. obligamur.* 51. §. 1. *de act. & oblig.* Vt & aliàs firmiora ſunt ea, quæ ex interuallo adeoque magis deliberate fiunt, *l. ſi mulier.* 22. *C. ad Velleian. l.* 3. *C. de repud.* Aut etiã geminato repromittuntur, actus enim geminatus & iteratus ex maiori deliberatione dicitur

dicitur procedere, §. *& hoc verò iubemus. vbi Gl. in verb. iuſſio. Auth. vt nulli iudic.* latè Ferdinandus Vaſquius *lib. 1. de ſucceſſ. creatione. §. 3. n. 13.* Adeoq; vim confirmationis habet repetitio, Tiraq. *de retractu gentilitio. §. 21. Gl. vnica, n. 5. 6. 7.* Cephalus *conſ. 443. lib. 3.* Decianus *conſ. 46. vol. 2.* Eſt etiam cum bonæ fidei iudiciis pacta inſunt, & pars contractus eſſe intelliguntur actionemque producunt, tex. eſt hic, & *l. fundi. 79. ff. de contrah. empt.* Si verò in continenti ſubſecuta non ſunt, ad agendum nihil operantur, cuius rei tria exempla hoc loco Iureconſultus ſubiicit. Primum eſt de dote poſt diuortium reſtituenda. Maritus enim non niſi elapſo anno ad reſtitutionem dotis in mobilibus conſiſtentis obligatus eſt, *l. vnica. §. exactio. Cod. de rei vxor. act.* cum quidem immobilia ſtatim reſtituere teneatur, *d. §. exactio.* Diuerſitatis ratio hæc aſſignatur, quòd ratione immobilium iuſta cauſa concedendi dilationem nulla ſit, cum maritus ea nec alienare, nec obligare poſſit, *l. lex Iulia. 4. ff. de fundo dot.* adeoque ſemper apud eum vel eius hæredes reperiantur; ſecus in mobilibus, quæ & alienantur & obligantur, *l. diuortio.* aliàs *l fructus. 7. §. ſi fundum. ſoluto matr.* vnde rectè datur dilatio, vt vel ea recuperare, vel aliunde tantundem corradere, adeoque mulieri ſatisfacere poſſit. Sicut igitur, ſi inſtrumento dotali cautum ſit,

dotem ſtatim non expectata die, vel anno ſoluto matrimonio mulieri reſtituendã eſſe, ex lege conuentionis ſtatim facienda eſt reſtitutio; *l. Attilicinus. ff. de pactis dotal.* Ita ſi facto diuortio conueniatur, vt maritus ſtatim dotem reddat, non expectata dilatione à lege indulta: hoc pactum poſt diuortium, ideoque ex interuallo factum ad agendum eſt inutile.

Secundo conuentio inter tutorem & pupillum finita forte tutela inita, vt pro pecunia pupillari tardius reſtituta vſuræ præſtẽtur centeſimæ, tutorem ad earum præſtationem non adigit; cum ex ea conuentione non naſcatur actio.

Tertium, ſi poſt perfectũ emptionis contractum pactum interueniat, quòd ad naturam contractus non ſpectet, talis conuẽtio ad agendum nihil operabitur.

Cæterum annotant Dd. hic, feudum eſſe contractum, & quidem vltro citroque obligatorium, Bart. & Iaſ. hic, Natta *conſil. 6, o. n. 48.* per textum *cap. 1. de forma fidelit. cap. 1. qualiter dominus feudi propriet. priuetur.* Menoch. *conſ. 156. n. 13. vol. 2. conſ. 157. n. 2. & 22. vol. 2.*

Ex quo apparet, quod feudum alicui cõceſſum ſine cauſa ab eo auocari non poſſit, *cap. 2. de feudo ſine cauſa non amitt.* Eſt enim regula: In contractibus nominatis etiam cum principe celebratis, quòd in iis pœnitentia

locum non habeat, vulgata *l. ſicut. C. de act. & obl.* Bald. in *l. qui ſe patris. col. antepenult. C. vnde liberi*: vnde licet principem feudi conceſſi pœniteat, illud ſine cauſa à Vaſallo reuocare non poteſt, Bald. in *cap. quæ Eccleſiarum. de Conſtitut.* & ibi Abbas, Gl. in *cap. ab apoſtolicæ. de re iudic. in 6.* ſecus verò ex cauſa. Sicut igitur donatio, ita etiam feudum reuocatur ob ingratitudinem, præſertim enormiorem, *l. pen. C. de reuocand. donat. cap. vlt. extra de donat.* Gl. in *l. omnimodò. C. de inoff. teſt. cap. 1. §. item ſi fidelis. verbo concubuerit. vbi Bald. & alii quib. mod. feu. amittatur.* Quod verum etiam eſt in feudo mediante precio acquiſito; quod nihilominus verum eſt feudũ, in quo omnes leges & conſuetudines de feudo diſponentes locum habent, Clarus *§. feudum. quæſt. 16.* ita vt deficientibus maſculis, non quidem ad filias deuoluatur, ſed ad dominũ reuertatur, Mynſing. *cent. 5. obſeru. cap. 73.* Neque verò omittendum eſt, Vlpianum hic naturam vocare, quam in ſimili argumento Papinianus vocauit ſubſtantiam, *l. pacta conuenta. 72. de contrah. empt.* ex quo apparet ea, quæ ſunt de natura emptionis, eſſe etiam de ſubſtantia, cum quæ alibi interpretes ſubſtantialia nominant, hic ab Vlpiano de natura dicantur, *§. idem reſponſum. hac L. noſtra.*

Oritur & hæc difficultas, quid nam per pacti informationem innuere voluerit hic Vlpia-

Vlpianus. Etſi autem de hac re diuerſimodè ſentiant & loquantur interpretes; verius tamen eſt informari per pacta actiones, quando noua iis forma aſſignatur, *l. intra. C. de operib. public.* non etiam quandò prima & vetus actio extenditur, qua de re vide Nonium *Inſtitut. quib. modis re contrahatur obligatio. §. re cōtrahitur. n.* 17. *mihi folio* 84. Eſt & ratio diuerſitatis explicanda, quare ſcilicet pacta incontinenti & etiam poſt adiecta, ſi detrahāt contractui, duntaxat ineſſe & velut pars cōtractus cenſeantur, *§. quin imò. hac l. noſtra.* ex interuallo verò ſubſecuta, ſi adiiciam non item, *§. vt puta. hac l. noſtra.* Pacto enim vbi detrahit veluti ne cautio culpæ præſtetur, nō agendo, ſed tantum excipiendo venditori prodeſt: quandò verò cōtractui adiicit emptori tantum agendo prodeſt; vnde contractui non ineſt; cum ex pacto nō detur actio, tex. eſt hic, & *l. legem. C. de pactis.* Multa alia ex immenſis interpretum Commentariis, quę magna copia hîc congerūtur conſultò prętereo, quòd teſte Cyno in *l. bonæ fidei. 13. C. de pactis.* eiuſmodi digladiationes plus habeāt ſubtilitatis, quam practicæ.

Ad §. *Adeò.*

PErſequitur Vlpianus in hoc §. ea pacta, quæ contractui emptionis adiecta ipſius naturam ſiue ſubſtantiam reſpiciunt, quæ

quidem contractui ineſſe & non modò ex parte rei exceptionem, ſed etiam ex parte actoris actionem parere aſſerit; in tantum vt ab emptione in totum conuentione poſteà facta recedi poſſit. Quod de re adhuc integra intelligendum eſt, *l. ab emptione.59.ff.hoc tit.l.1.C. quandò liceat ab empt. diſced.* Vt enim totus contractus pacto adiecto reſolui; ita & quidem multò facilius pars eius, puta precium mutari pacto poteſt, *l.pacta conuenta. de contrah.empt.l.2.de reſcind.vendit* qua ratione reformari dicitur, textus eſt hic, qua de re videatur Æmilius Ferrettus hic. Diuerſum ſancitum eſt in actu conſummato aut omni perfectione perfecto, *l.ſi in metallum.3.ff.de his quæ pro non ſcriptis, l. inter ſtipulantem.§.ſacram.l.ſi pluribus.§.etſi placeat, de verb. obligat.* quod in venditione tunc factum dicimus, cum res à venditore tradita & nummi ab emptore numerati factique ſunt venditoris accipientis, Gl.in *l.ſi quis alienam. de act.empt.* & in *l.1.C.de peric.& commodo rei venditæ.* Cæterum bonum eſt argumentum de toto ad partem, text. eſt hic & *l.quæ de tota.75.de rei vend.l.pars.ff.pro derelicto.l.qui ſcit.in princ.ff.de vſuris.l.ſi ſeruus.de acquir.hæred.cap.paſtoralis.§.ſed cum totum.de offic.deleg.* Vnde quæſtionis eſt, an piſces in ſtagno vel piſcina videantur eſſe pars totius? Etſi autem hoc negare videatur textus in *l.funes & labra. de act. empti.*

proba-

probabilius tamen diſtinguitur inter piſces in ſtagno vel piſcina in eum finem repoſitos, vt creſcant & multiplicentur, qui cenſentur propterea eſſe pars fundi, argumento *l. longe. de diu & temp. præſcript.* & inter eos, qui ſunt repoſiti cauſa cuſtodiæ, quo caſu non ſunt pars fundi, qua de re videatur Guido Papæ *deciſ* 91. conſuetudo generalis *num.* 4 & nouiſſimè Hartmannum Piſtoris in 1. *parte quæſtionum, cap.* 24. *nu.* 63 64. *cum ſequentib.* Non procedit hoc argumentum indiſtinctè & ſimpliciter, ſed ſecundū quid, Gl. in *l. ſi quid earum. §.* 1. *de legat.* 3. *l. ſi quis aliam. ff. de ſolutionib. l. tutor vrgentibus. §.* 1. *de minor. l.* 1. *§.* 1. *de ſtatu lib.* non enim obtinet quandò diuerſa eſt partis & totius ratio, *l. cum de indebito. §. ſed hoc ita. & ibi Salicetus in* 4. *notab. de probat. l. ſed ſi lege §. adeo. & ibi Gl. in verb. dimidiam. de petit. hæredit. l. Papinianus. § ſed nec in pueris. de inoffic. teſtam. l. ex mille, de euict.* Gl. in *l. qui hominē. verb. Titio. de ſolut. Clement.* 2. *verb. defenſor. de non alienandis reb. Eccleſiæ.* Adhibenda tamen quædam dexteritas circa ea, quæ reſpectu totius partes rectè dicantur; neque enim vſumfructum partem fundi conſtituimus, *l. & per iuſiurandum.* 3. *§. illud. de acceptilat. l. rectè dicimus. de verb. ſign.* Cum enim partes debeant eſſe eius generis, cuius eſt totum, ſequitur, vt res corporalis puta fundus partes incorporales, quales ſunt proprietas & vſuſ-

fructus, adeoque iura incorporalia habere nequeat. Etſi autem Paulus IC. eum, qui vſumfructum ſtipulatur, dicat ei ſimilem, qui partem fundi ſtipulatur, *l. qui vſumfructũ. 58. de verb. obligat.* tamen nullum ſimile eſt idẽ, *l. quod Nerua. ff. depoſ. cap. capitalium. de reſcrip.* vnde vſusfructus non quidem pars fundi, ſed ius & vtilitas ex eo proueniens rectius dicitur, *l. ſi à Reo. 71. §. ſi Reo. ff. de fideiuſſ.* Quia verò teſte Iureconſulto hîc per pacta contractui ſæpè in totum ſępè pro parte derogatur, adeoque interdum à contractu ad diſtractum deuenitur, non inconuenienter quæritur, an diſtractus appellatione contractus veniat, quod negare videtur textus in *l. vlt. C. ſi tutor vel curator.* Sed rectius dicitur contractum pro diſtractu ſubinde in noſtris legibus accipi, *l. omni. cum ibi notatis. C. de omni agro deſerto. lib. 11.* adeò, vt omne pactum contractus dicatur, Gl. magna *l. 1. in princ. de act. & oblig at. l. 3. §. contrarium. C. de contrario iudicio tutelæ.* qua de re vide omninò Tiraquellum, *de legib. cõnubialibus. Gl. 5. in textu, verbo contracter. nu.* 1. 2. *3. cum multis ſequentibus.*

Ad §. *prætor ait.*

PActa non dolo, non contra legem aut aliam iuris partem, aut etiam in fraudem legis facta ſeruanda prætor conſtituit. Qui quidem diligenter prouidit, ne cui ſuus dolus per

lus per occaſionem & ſubtilitatem iuris ciuilis contra naturalem æquitatẽ proſequi, *l.1.§.penult.ff.de doli mali except.l.dolo, C.de inutilit.ſtipulat.* adeò, vt ne quidem dolus futurus remitti poſſit, *l.ſi vnus.§.illud.hoc tit.* ne ſc. ad delinquendum homines inuitentur, *l.cõuenire.de pactis dotal.* Qui dolus ſicuti in dubio non præſumitur, *l.merito.ff.pro ſocio.l.patronatus.l.quoties.§.qui dolo.de probat.l.ſi prætor.§.Marcellus,de iudic.l.3.§.vlt.in fine. & ibi Gl. de tribut.act.l.dolo.vbi Dd.C.de dolo malo.* Ita non niſi argumentis, coniecturis & veriſimilitudinibus deprehenditur, Tiraq. *de retractu gẽtilitio.§.5.Gl.vnica.n.4.mihi fol.260.* vbi exẽplum in retrahente & rem retractam ſtatim vendente ſubiicit, allegans *l.ſi ventri.8.§.vlt. de priuil.credit.* & Tiraq. in *præfatione retractus conuentionalis,n.18.* in eo, qui multum cautelarum in palliandis ſuis contractibus vtuntur: nam quò plus cautelæ, eo plus fraudis, *l.ita fidei.40.ff. de iure fiſci. l.ſi libertus minorem. de iure patron.* Menoch.*conſ.230.n.59.vol.2.*

Cæterum doli mali ideò meminit Iurecõſultus hic, vt excludat bonam eorum intentionem, quæ doli quidem ſpeciẽ habet, ſed ab animo doloſo non proficiſcitur, cuiuſmodi eſt, quando iudex ad indagandam veritatem interdum fingit ſe facturũ, quod reuera facturus nõ eſt, Bart.in *l.de minore.10. §.plurimum.de quæſtionib.* Etſi autem non de-

ſunt, qui iudicem promittentem Reo delicti veniam, ſi confiteatur, ad eius promiſſionis obſeruationem in foro præſertim contentioſo non teneri, Reique ad id ſubſecutã confeſſionem alicuius ſaltem momenti eſſe aſſerant: Qua de re videatur Egidius Boſſius *tit. de examinib. Reorum, n.* 16. Felinus in *cap. accedens. 2. vt lite non conteſt. n.* 23. Tutius tamen & conſciẽtiæ vtilius eſt, ſi iudex in puniendis ſceleribus rigorem ſuum ſic temperet, ne omnem humanitatis affectũ exuat: & ita ſint patres eorum, quos damnant, ne manſuetudine molleſcat ſeueritas. Vnde apparet, quid de iis ſtatuendum ſit, qui blãditiis miſeros demulcent, fingendo ſe velle ignoſcere, quos poſtmodum elicita confeſſione ſtatim carnifici puniendos recommẽdant, contra ea, quæ in ſimili caſu ab Imperatore electi populi Ioſua obſeruata ſunt, *Ioſua* 7. Neque verò pacta dolo & contra leges inita fruſtrà hic æquiparantur, cum leges & ſtatuta quemlibet & in foro cõſcientiæ obligent, Gl. in *cap.* 9. *in Eccleſiarum. extra de conſtitut.* Gl. in *cap.* 2. *verb. ſententiis. d. tit. in* 6. quãtumcunque etiam dura ſit, Panorm in *cap. inquiſitioni. de ſentent. excommunicat. l. proſpexit. qui & a quib. manumiſſi.* Neque abſque ratione mortaliter peccare dicitur, qui contra legem aut in fraudem legis quid facere præſumit, quod tum fieri cenſetur, cum vel a-

aperte

perte lex oppugnatur, *l. quæris. 3. de natal. reſtit. l. qui ſcit. 25. verſ. & ideo. de vſuris. l. 2. §. conſtat. ff. de pœnis.* Vel per obliquũ callide eius ſententiam circumueniunt, quod in fraudem legis fieri Iulius Paulus dixit *l. contra legem. cum l. ſeq. ff. de legib.* ex quo pacto ne quidẽ naturalem obligationem oriri quidam tradiderunt, Dd. in *l. non dubiũ. C. de legib. l. ſi non ſortem. in princ. de cond. indeb. l. cum lex de fideiuſſor.* cum iure gentium, vnde naturalis obligatio deſcendit, magiſtratuum ſancitis parêre teneamur, *l. cum amplius. §. is natura. de R. I. l. 2. de iuſt. & iure.* Eſt enim obedientia legibus debita illa communis Reip. ſponſio, quã quiſque ciuium patriæ ſuæ pollicetur, eaque ſe illi obſtringit vt eleganter innuit Papinianus *l. 1. de legib.* verbis, *communis Reipub. ſponſio.* qua ſignificat nos firmiſſime ſtrictiſſimeque epixo animo & deliberato conſilio pollicere & promittere legibus obedientiam, *§. 1. Inſtitut. de verb. oblig. l. 1. ff. d. tit.* cuius ſponſionis quanta ſit ſanctitas & religioſa obſeruatione digna autoritas, vel ex eo apparet, quod leges noſtræ contractum omnium illuſtriſſimum eo denotare dignatæ ſint, *toto tit. ff. Codicis & extra de ſponſalibus.* Sicuti igitur priuati inter ſeſe ex ſuis contractibus & obligationibus aſtringuntur, illorumque conuentio legi æquiparatur, *l. 1. §. ſi conuenerit. ff. de poſ. l. ſi conuenerit. de iuriſd. omnium iudic. l. legẽ*

quam. C. de pactis. ita & quidem multò magis omnes ad præſtandam legibus obediētiam aſtringimur, *d. l. 1. & l. 2. de legib.* cum quidem huic rei conſenſum ab initio dederimus, dū nos Reip. ſubdidimus, à quo vni vel alteri per contrarium conſenſum non licet diſcedere, *l. ſicut. C. de act. & obl.* qua de re videantur plura apud Ferdin. Vaſqui. in *præfatione titul. de ſucceſſionum progreſſu*, ferè per totum. Contrariantur autem pacta legibus, 1. Si bonis moribus aduerſantur, *l. alia. 15. §. eleganter. ſoluto matrim.* Deinde aut iuribus publicam vtilitatem reſpicientibus contrariantur, *l. ius publicum. hoc noſtro tit. l. fin. ff. de ſuis & legit.* Ad vtramque ſpeciem referri poſſe videtur, q. Hebræorum legislator Moyſes capitali ſententiæ ſubiecit eos, qui Sabbatum violaret, non ea tantum de cauſa, quod mundi creationem Sabbati violatione in dubium reuocare viderentur.

Verum etiam quod rebus agendis ac negociis contrahendis ſex omninò dies à Deo Opt. Max. definitæ, dies verò ſeptimus ſapientiſſimo Dei conſilio contemplationi & quieti ſanctiſſimæ conſecratus eſt, vt eo homines in pulcherrima Dei præpotentis opera, iudicia, iuſſa intuentes in eius laudib. acquieſcant, *cap. de Sabbato. de conſecr. diſt. 3.* argumento *l. omnes. C. de feriis.* Iam ſi eiuſmodi feriæ, quæ à negociis forenſibus & artificioſis quæ-

ſis quæſtuoſiſque operibus vacationem cõcedunt, *l. Diuus. 9. ff. de feriis.* pacto domini cũ familia inito interuertantur, vel tollantur, adeoque profanis laboribus mancipentur, pactum contra leges initum a prætore improbari manifeſtum eſt. Etſi enim actus extraiudiciarii diebus quoque feriatis interponi poſſint, *l. 2. l. actus. l. fin. C. de feriis* tamen non rectè exercentur, *l. 2. C. de temporib. appellat.* Sic cum facilius fœminis propter fragilitatem ſexus & periculum pudicitiæ etiam circa incarcerationes ſubueniatur, *l. cũ multæ. 20. §. 1. C. de donat. ante nupt.* Tiraq. *de pœnis cauſa 9.* iure cautum eſt, ne fœminæ ob æs alienum in carcerem mittantur, *Authen. hodiè nouo iure. C. de cuſtod. Reorum. l. 1. cum Auth. ibi poſita. C. de off. diuerſ. iudic.* legibus aduerſari prohibetur, ſi quis contra hoc priuilegium ſexui indultum mulierẽ in cauſa ciuili ad carcerem pacto inito obligauerit, qua de re vide plura apud Grammaticum *deciſ. 33.* Menoch. *de arbitrar. iudic. caſu 302. 304.* Didach. in *cap. quamuis. parte 2. ad initium, nu. 7.*

Sic cum liberi parentes non tantum reuereri, ſed etiam alere ac ſuſtẽtare, imò pro tuenda parentum ſalute ſuam omnibus periculis exponere teneantur, cuius rei nullũ illuſtrius argumentum eſſe poteſt, quã prima lex ſecundæ tabulæ, quæ ſola ex omnibus decalogi legibus liberis præmium propo-

nit,

nit, qui parentes cultu proſequuntur, cum quidem alioqui officio nulla merces debeatur, *l. 1 ff. mandati.* Iam non dubium eſt, quin pacta a parentibus & liberis contra hoc legis ſancitum inita ſint edicto prætoris caſſa & irrita. Sic pactum, quo libertas matrimonii contrahendi conſtringitur, merito prætor improbat, *l. Titia. 134. in princ. de verb. obl. cap. Gemma. 29. de ſponſalib.* Nuptias enim quæ à liberrima contrahentium voluntate dependēt, pœnæ vinculo nemo rectè cōſtrinxerit, *cap. cum locum. de ſponſalib. d. l. Titia.* Eodē modo ſe res habet circa pacta, quæ non quidem bonis moribus, ſed iuri ob publicam vtilitatem principaliter introducto aduerſantur. Nam nec ea ſuſtineri prætor voluit, *l. ius publicū. de pactis. l. fin. ff. de ſuis & legit. l. quod de bonis. §. 1. ff. ad l. Falcid.* Sic etſi vnuſquiſque iure naturalis libertatis ad libitum ædificare poſſit, *l. fin. in princ. ff. de ſeru. tit. generali. l. cuius. de ſeruit. vrb. præd. l. fin. §. penult. ff. quod vi aut clam.* latè Iaſon in *l. ex hoc iure, num. 6. 7. 11. ff. de iuſt. & iure.* Rectè tamen improbantur pacta, quo marmoreæ columnæ, aūt alia eiuſmodi ornamenta, quibus ędificia vrbium cōmendantur aliò transferuntur, *l. Senatus 52. de cōtrah. empt. l. cætera. 43. §. penult. & fin. de legat. 1.* Summoperè enim cauerunt veteres ne ruinis ædificiorum publicus vrbis aſpectus deformaretur, *l. fin. ff. ne quid in loco public. l. 2. C. de ædific.*

ædific. priuat. cum quidem ędificiorum ſuperba magnificentia plerunque cum admirabili ingenioſiſſimorum opificum induſtria coniuncta ſit, qua de re vide Bodinū *de Rep. lib. 6. cap. 2.*

Quod ſi de futuris alimentis inconſulto prætore tranſigeretur, pactum illud nō admittitur, *l. cum ii. 8. de tranſact. l. de alimentis. 8. C. tit.* cum ab iis hominum vita dependeat, Bart. in *tractatu alimentorum.* Dd. in *d. l. de alimentis.* neve quis modico contētus & præſenti inescatus ad extremam traducatur inopiam, *d. l. cum ii.* qua de re vide plura, apud Duarenum *lib. 1. anniuerſ. diſputat. cap.* 44. Menoch. *de arb. iud. lib. 2. cent. 2. caſu* 170. De controuerſiis etiam ex teſtamento proficiſcentibus fruſtrà paciſcimur tabulis vel verbis teſtamenti non inſpectis, *l. 1. quemadmodum teſtam. aper. l. de iis. 6. de tranſact.* qua de re vide Menoch. *de adipiſcenda poſſeſſ. remedio* 4. *n.* 109. *deciſionem Pedemontanam.* 112. Henning. Gœden *conſ.* 13. *vol.* 8. quod ita iure cautum eſt nō tàm odio eorum, qui teſtamenta occultant, *l. tres fratres. hoc noſtro tit. d. l.* 1. quam quod publicè expediat defunctorum voluntatibus ſtari, *l. vel negare. ff. quemadmodum teſtamenta aper. l. 1 C. de ſac. ſanct. Eccl.* Sic fruſtra potentiores alienas actiones ſuſcipiunt & quaſi ſuas impendunt, eoque modo cauſarum alienarum patrocinio ſuum nomen accommodant,

dant, idq; vel gratia, vel mercede, cum maxima tamen inuidia & odio coniuncta. Cuius rei coercitium ad præſides prouinciarū etiam aduerſus ſenatores vel clariſſimos ex Claudii conſtitutione pertinet, *l.1.C.ne liceat potentiorib.* quæ res etiam in cauſa eſt, vt ceſſiones nō indiſtinctè admittãtur, qua de re vide Menoch. *de præſump.lib.3.præſump.* 129. Iac. Philip. Portium *lib.3.communiũ concl.reg.*43.

Hæc omnia, quæ de eiuſmodi pactis à prætore improbatis hactenus dicta ſunt, ne quidem iuriſiurandi religione confirmari vel ſuſtineri poſſunt, *l.non dubium.C.de legib. l. pacta quæ contra. vbi Alciatus. C. de pactis. l. ſi quis inquilinos. §.fin.de legat.1.* Didach. in *cap.quamuis.de pactis.in 6.initio partis ſecundæ n.1.2.&c.*

Ad §. *pactorum autem.*

OMiſſa verborum, quæ per ſe plana ſunt, explicatione, vſum huius diſtinctionis cōſiderari neceſſe eſt. Is talis eſt, vt pacta in rem concepta omnibus proſint, quorū obligationem diſſolutam eſſe eius, qui paciſcebatur, interſit, *l. & hæredi.* 22. *§.vlt.infrà hoc tit.* in perſonam conceptũ ei duntaxat proſit, cum quo factum eſt, *l.ſi vnus.* 28. *§.ante omnia.hoc tit.* nec extenditur ad alias perſonas: vnde pactum non tranſibile appellatur, cum quidem pactum reale dicatur tranſmiſſibile, Bald. hîc *nu.1.* cum itaque iuſ-

iuran-

iurandum ſeu religioſa affirmatio, qua interdum conuentiones & contractus innituntur, ita perſonæ iurantis cohæreat, vt ab ea diuelli non poſſit, perſonale eſſe non dubium eſt, Bald. hic *nu.* 4. Quod verũ eſt quoad obligationem periurii, *cap. veritatis. vbi Panorm. de iureiur.* Didach. in *cap. quamuis. parte.* 1. §. 5. *n.* 4. *de pactis. in* 6. Reale enim eſt quoad obſeruantiam contractus, cui etiam hæredes & ſucceſſores obligãtur, Bald. in *l. vlt. C. de pactis.* per *Auth. ſacramenta puberum vbi Iaſon & Dd. C. ſi aduerſus vendit.* Plura de pactis in rem & perſonam, vide apud Charondam *lib.* 3. *veriſimilium, cap.* 8. vbi etiam quædã huc pertinentes antimoniæ diſſoluuntur. Cæterum in pactis & contractibus magis volũtas contrahentium conſiderãda eſt, text. eſt hic & *l. vlt. C. quæ res pignori oblig. poſſ.* cũ multis aliis, quæ allegat & ſuo more cumulat Tiraquellus in *l. ſi vnquam. verb. libertis. n.* 23. 53. *C. de reuocand. donat.* vbi huius rei ſex aſſignat rationes ex Stephano Friderico de legum interpretatione deſumptas. 1. Potior eſt finis quam ea quæ ſunt ad finem, Homodeus in ſuo *tract. in princ. nu.* 1. vbi finis his, quæ ad finem ſunt, nobilior creditur: natura autem verba conceſſit ad ſignificandam mentem, non mentem ad verba exponenda, *l. Labeo. §. item ſi Tubero. de ſupellect. leg. cap. ſecundo requiris, de appell.* Ergo prior atque potentior eſt mens,

mens, quam ſermo dicentis, qui menti ancillatur & ſubſeruit, *can. humanæ. 22. quæſt. 5.* Vnde linguam organum, tubam & preconē intellectus dixit Baldus in *quæst. ſchiſmat in princ. n. 27.* II. Ea, quæ per ſe ſubſiſtunt, potiora ſunt iis, quæ ab alio dependent, argumento *l. 1. §. 1. ff. de aqua quotid. & æſtiua. l. pretii cauſa. C. de reſcind. vend.* ſicuti etiam quodlibet ens eſt nobilius non ente, Salicetus in *l. vnica. verſ. rei vxoriæ. n. 6. C. de rei vxor. act.* At verba è mente dependent, non mens à verbis, *l. in conditionib. 19. de condition. & demonſtrat. cap. intelligentia. extra de verb. ſig.* III. Quod perfectius eſt alteri minus perfecto præſtat, Tiraq. *de retractu conuent. §. 2. Gl. vnica. nu. 8.* Cagnolus in *l. 1. n. 17. de orig. iuris.* at mens perfectior eſt verbis, & cogitando plus valet, quā lingua exprimendo, licet rei magnitudine non rarò vincatur, multa etiam ſunt, quæ magis intelligi, quam verbis enunciari poſſunt, *l. ratum. de ſolut. l. qui enim tutor. §. Iulianus. ff. rem ratam hab.* vnde etiam fit, vt plura ſint negocia, quam rerum vocabula, *l. natura. 4. ff. de præſcrip. verbis. l. inſula. 56. in fine. de acquir. rer. dom.* Ergo, &c. IV. Ea, quæ certa ſunt, potiora ſunt obſcuris & incertis, Decianus *conſil. 39. qua facti ſpecie. n. 116. vol. 2.* At mēs eſt certior verbis; quia nec falli, nec fingi poteſt, verba autem poſſunt, *l. fraus. ff. de legib. l. non dubium, C. d. tit.* Ergo, &c. V. Ea, quæ
ſine

ſine alio eſſe poſſunt potiora ſunt iis, quæ ſine alio eſſe non poſſunt, arguméto eorum, quæ tradit Caſſaneus in *proœm. conſuetudinum Burgundicarum, verb. Barl. gra. e de dy. m. hi fol.* 10. At mens ſine verbis eſſe poteſt, *l. nutu. de legat.* 3. *l. ſi pater. de adopt.* vnde mutus matrimonium contrahit nutu & ſignis, Tiraq. *de legib. connubialib. Gl.* 7. *verb. expreſſo n.* 17. & nutu iuramentum præſtat, *nu.* 18. & nutu ac ſcriptis teſtificatur, ibidem *nu.* 19. Verba ſine mente eſſe non poſſunt, *l.* 2. *de reb. dub.* Vbi enim métem abeſſe credimus verba pro nihilo habétur, *l. non ſolum. de act. & obl. cap. tua nos. de ſponſalib.* Ergo, &c. VI. Quæ ſunt ſimilia melioribus, potiora ſunt iis, quæ ſunt ſimilia deterioribus, argumento §. 2. *in fine. Auth.* |*de defenſorib. ciuit.* At mens animæ ſimilis eſt, quæ eſt nobilior corpore, & cunctis rebus præferenda, *l. ſancimus.* 21. *C. de ſacr. ſanct. Eccl. can. decipimus.* 12. *quæ.* 1. *cap. cum infirmitas. de pœnis.* & remiſſionibus. Verba autem corpori *can. ſedulò. diſt.* 38. hiſce de cauſis, quæ habétur apud Stephanum de Fredericis in *lib. de legum interpretatione, parte* 1. *in princ. nu.* 14.| ſtatuunt interpretes mentem, cum & radix ſit verborum & eius ſubſtantia prima, ſicut cor eſt imperator linguæ, & habet eam ſicut mancipium ſub ſua iuriſdictione, Bal. in *cap. mandatum. colum.* 1. *de reſcript.* Iaſon in *l.* 3. *C. de liber. præteritis.* potius attendendam, quę qui-

D dem

dem melius declaratur per facta, quam per verba; cum plerunq; aliud loquamur, aliud interim animo agitemus, *l. obſeruandum. de offic. præſid. l. ſi canem. 48. §. ei qui. de ædil. edicto.* notat Gl. in *cap. dilecti*, argumento illius textus de appellationibus. Hinc ſequitur proteſtationem facto contrariam non prodeſſe, ſed per factum contrarium tolli, *cap. gratum. cap. ſolicitudinem. de appellat. cap. cum M. Ferrarienſis. de conſtitut.* vbi latiſſimè omnes iuris põtificii interpretes ſcribunt. Ex quo infertur, non excuſari eum, qui quem verbali iniuria præmiſſa prius proteſtatione de non iniuriando afficit, quo minus de illata iniuria teneatur, Bart. in *l. ſi quis extraneus. & ibi Iaſon. de acquir. hær.* Alexander in *l. vlt. quod quiſque iuris.* & in *l. turpia, vbi Iaſon n. 7. de legat. 1.* cum aliis, quæ allegat Menochius *conſil. 41. non leui ſtudio, n. 32. vol. 1.* Vide Bodinum *de Rep. lib. 4. cap. 6. mihi fol. 476.*

Cæterum ex hiſce, quæ plerunque euenire Vlpianus hic tradidit, extruunt noſtri interpretes argumentum à ſolitis fieri, quæ quidem cenſentur legitimè fieri, *l. certi cõdictio, §. ſi nummos. & ibi Bart. Iaſon & Dd. ſi certum pet.* quod adeò verum eſt, vt omnis mundi diſpoſitio ſiue cõtractuum, ſiue vltimarum voluntatum interpretationem & ſuppletionem recipiat ab eo, quod fieri conſueuit, *l. ſi de interpretatione. ff. de legib.* ita notabiliter dixit In-

xit Innocentius in *cap. cum tibi. in prin. de verb. ſign.* Regulariter enim faciens actum, qui in aliquo loco fieri conſueuit, excuſationem meretur, *l. ſi pignore. §. fin. vbi Bart. de pignorat. act.* cum aliis, quæ nouiſſimè allegat Hartmannus Piſtoris *parte 1. quæſt. 49 n. 55 56.* vbi exemplum huius rei ex Bartolo in *l. quis ſit fugitiuus. §. apud Labeonem de ædilit. edicto.* adducit de contractu in aliqua regione frequentari ſolito pro vſurario non habendo, ſaltem ad hoc, vt contrahens à culpa excuſetur: qua tamen de re vide 5. deciſionẽ Lituanicam Petri Royſi Mauræi *n. 101. 162. de fœnore ſiue vſuris.* Et de natura vocabuli *plerũque* vide Tiraq. *de retractu gentilitio, §. 1. Gl. 9. n. 224.* Decian. *conſ. 1. n. 33. vol. 2.* Corraſ. in *l. cũ virum. num. 27. C. de fideicommiſſis.* Occaſione eorum, quæ iam dicta ſunt, non inconueniẽter quæritur de pignore, cuius in contractu ſit mentio; cum tamen aliam fuiſſe contrahentium intentionem, ex multis circũſtantiis deprehendatur: etſi autem illuſtre admodũ diſcrimen ſit inter pignus, quod manet in dominio debitoris, *l. pignus. C. de pignor.* ita vt debitor ſaltem quoad implendam vſucapionem adhuc poſſideat, *l. ſerui nomine. 16. de vſucap.* nec releuetur creditor ab onere ſatiſdandi, quaſi immobilia poſſideat, *l. ſciẽdum. 15. §. creditor. qui ſatiſd. cog.* nec precio vẽditor, ſed tantum oppignoratur, & exinde

cenſetur creditor fructus pignoris perceptos non ſibi lucrari, ſed ſorti imputare, *l. 1. 2. C. de diſtract. pignor. l. ſi ea lege. 17. C. de vſuris.* Cũ è contra alienatio cum pacto retro venditionis facta vera ſit venditio, *l. 2. C. de pactis inter empt. & vendit.* in qua traditione dominium acquiritur, *§. per traditionem. §. venditæ. de rer. diuiſ.* non obſtante retrouendationis pacto, per ea, quæ allegat Tiraq. *de retractu conuentionali, §. 2. Gl. 1 n. 34. 35.* Molinæus *de vſuris quæſt. 35. n. 268.* & exinde fructus ad emptorem ſpectant, *l. curabit. l. fructus. Cod. de act. empti.* Sæpè tamen oppignoratio non quidẽ propriè, ſed ſecundum communem vſum loquendi pro alienatione ſub pacto de retrouendendo facta, & quidem cum effectu lucrandorum fructuum accipitur, ad cuius rei confirmandam veritatem allego Zaſiũ in *conſ. 12. nobiles D. A. M. Tomo 1.* vbi ſcribit, hunc eſſe communem loquendi vſum Laicorum, quod inter nomen venditionis, vbi immobilia cum pacto de retrouendendo venduntur, & inter nomen pignorationis non faciant differentiam, alterum ſumentes pro altero ex inaduertẽtia. Propter hoc tamen non eſt vera pignoratio, ſed nihilominus remanet venditionis contractus, aliàs poſſeſſor fructus non faceret ſuos, *l. 1. & 2. C. de diſtract. pignor.* faciunt ea, quæ tradit idem Zaſius in *l. de quibus. n. 59. ff. de legib.* Secundò

cundò allego Marianum Socinum ſeniorẽ *conſ.*15.*viſis, prædictis, n.* 39. *verſ.*5.*probatum lib.* 1. vbi aſſerit de communi vſu loquendi & vulgari opinione eiuſmodi contractus cum pacto de retrouendendo dici pignoratitius, vt traditur in *cap. ad nostram. extra de empt. & vend. cap. illa vos. de pignorib.* vulgares enim nõ faciunt magnum diſcrimen inter hos contractus, & per vulgarem locutionem & intellectum verba accipiũtur impropriè, Tiraquellus *de retractu gentilitio, §.2. Gl.*1.*nu.*5. vbi communem vſum loquendi obſeruandum ait in ſtatutis, in diuinis ſcripturis, in priuilegiis, contractibus & vltimis voluntatibus, adeò vt appellatio vulgi pro iure habeatur, & omni propriæ ſignificationi, omni regulæ, omni conſtitutioni in quacunque etiam ſtricta materia præualeat, Mantica *de coniecturis vltimar. voluntatũ lib.*3.*tit.*8.*fol.* 40. Menoch. *de arbitr. iudic. cent.*1.*lib.*2.*caſu* 489. quo pacto autem communis loquendi vſus probetur, videatur Maſcardus *de probationib. vol.* 1.*concluſ.*329.*mihi fol.*196. Tertiò allego Crãcium *lib.* 8.*de Lan. cap.*35. ibi pignus vocant & pignoratitium contractum, ego ex intentione contrahentium veram arbitror emptionẽ, cum pacto tamen redemptionis, quod fas & iura ſinunt Alioqui in ſortem computaretur, ſi pignus eſſet, quicquid eo nomine prouenirет, mens autem contrahentium ea

fuit, vt fructibus acceptis vtatur pro ſuis ſorte manente integra, quod eſt pactum emptionis, vulgatus error multos decepit. Pignus itaque ſecundum communem loquẽdi vſum in eiuſmodi cõtractibus pro retrouenditione accipitur, id quod planum eſt ex Doctoribus modò allegatis, quibus de communi loquendi vſu atteſtantibus merito creditur, Crauetta *conſ. 166. licet plurimi. nu. 9.* Portius *lib. 2. communium concluſ. regula* 24. quod eo fortius obtinet, quandò aliæ etiam inſuper circumſtantiæ ſeu clauſulæ contractui inſertæ conuincunt, eum de ſimplici pignore non eſſe accipiendum: quid enim ſi in eo ius patronatus in ſpecie translatum ſit, quod certè in contractu pignoris in creditorem non tranſit, *cap. cum Bertoldus.* 16. *& ibi Abbas, de ſentent. & reiud.* Quid ſi in cõtractu promiſſa ſit euictio, quo caſu trãslatum eſſe dominium nõ eſt dubium, cum res propriè non dicatur euicta, cuius poſſeſſio euincitur, *l. ſi cum venditor. 66. in princ. de euict.* Bart. in *l. ratio. de act. empti.* Quid ſi præſcriptioni eſſet renunciatum, quæ alioqui in pignore locum non habet, quippè in quo ſecundum receptiorem ſententiam iuri offerendi non præſcribitur, Mynſing. *centur.* 1. *obſeruat.* 16. Andreas Geil. *lib. 2. obſeru.* 18. Quibus & aliis eiuſmodi circumſtantiis concurrentibus verius eſt, vt intentionem potius

contra-

contrahentium conſideremus, & contractum inſpecto effectu potius, quam ex verbis diſcernamus & iudicemus, Alexander *conſil.* 42. *vol.* 2. Fabianus de Monte in *tract. de empt. quæſt. vlt. nu.* 7. vbi effectum contractus attendi debere ſtatuit, non nominationem, quandò qualitas contractus repugnat, *l. ſi vno, in pr. ff. locati. l. inſula. de præſcr. verbis.* magis enim attenditur effectus quam denominatio, Bald. in *l.* 2. *C. commod.* & in Rubr. Codicis *de iure emphyt.* vnde de illis, qui verborum proprietati nimis addicti ſunt, rectè ſcribitur, quòd plerunque ſenſum veritatis amittant, *cap. propterea. de verb. ſignif.* Cum non ſit curandum genus verborum, vbi mens eſt certa, *l.* 3. *C. de lib. præteritis.* & plurimi abuſiuè loquantur, nec propriis nominibus aut vocabulis ſemper vtantur, *l. non aliter. de legat.* 1. Qua de quæſtione vide plura apud Menochium *lib.* 3. *præſumpt.* 122. Henning. Gŏden conſil. quod inſcribitur *de præſcriptione pignoris.*

Ad §. *dolo malo.*

PErſequitur Vlpianus hoc §. ea, quæ ſupra circa edictum, quæ neque dolo, &c. perſtrinxerat, ſubiiciens doli mali definitionē, in qua conſtituenda inter veteres IC. minus conuenit, *l.* 1. *de dolo malo.* probabilius tamen Labeo dolum citra interuenientem ſimula-

tionem fieri poſſe ſtatuens, *l. in lege Cornelia. 6. ff. ad l. Cornel. de ſicar.* eaque, quæ ab aliis rudius & ſimplicius tradita fuerunt artium liberaliũ beneficio, & copia eruditionis ſubtilius definiens *l. 2. §. itaque reliqui. ff. de orig. iuris.* Vt vel ex eo appareat fuiſſe eloquentiæ magiſtros Iureconſultos, Iaſon in *l. ſi filius hæres. ff. de lib. & poſth.* quos cum compẽdio potius locutos eſſe, quam verba ſine ſubtilitate effudiſſe teſtatur Cagnolus in *Rubr. C. de edẽdo. n.* 58. Vnde Vlpianus in *l. 1. infrà de dolo malo*, definitionem doli à Sulpitio traditam quòd ſcilicet ſit machinatio quædam alterius decipiẽdi cauſa, cum aliud agitur, aliud ſimulatur; improbat. I. Quia non eſt generalis, cum & ſine ſimulatione dolus cõmitti poſſit, *d. l. in lege Cornelia.* II. Quia etiã aliis rebus, non ſoli dolo definiendo competit; cum non omnis ſimulatio ad decipiendum alium tendat, ſed ſæpè etiam ad ſua contra hoſtem vel latronem ſeruanda adhibeatur, *d. l. 1. §. non fuit. ff. de dolo.* Imò tot vanitatis receſſus habeat, tot mendacii latebris ſcateat, tàm fraudulenta hypocriſi laboret cor humanum, vt ſeipſum etiã non raro fallat, *cap. officium. de hæret. in 6.* Gl. in *l. illicitas. §. illicita miniſteria. de off. præſid.* Excuſare tamen Sulpitium fortaſſis poterit difficultas conſtituẽdarum definitionum quæ tanta eſt, vt nulla ſit tàm clara & aperta, quæ inanibus cauillis

& ſo-

& ſophiſticis quibuſdam argumentis impeti non poſſit, argumento *l. omnis. ff de reg. iur.* cum quidem definitio nihil aliud ſit, quam rei propoſitæ finis, qui niſi firmo ac ſtabili fundamento nitatur, quæcunque ſupra extruas vnà ruitura ſunt & eodem momento, latè Næuiſanus in *ſylua nuptiali. §. deueniamus igitur. n.* 170. *cum ſeqq.* vnde ſufficit ſecundum communiter contingentia & regularē naturam rei definitæ procedere, Accurſ. in *d. l. omnis.* vbi etiam Cagnolus per totum, præſertim verò *num. 66. cum ſeqq. de reg. iuris.* Panorm. in *Rubr. de iudic.*

Quotieſcunque igitur in contractu vel pacto tale quiddam interuenerit prætoria autoritate non ſuſtinebitur, ſiue ab initio contractus ſeu in eius obſeruantia dolus cōmittatur, tex. eſt hic *verſ. ſed ſi fraudand.*

Ad §. *Quod ferè nouiſſima.*

STipulationes pactis ideò adiectæ ſunt, vt ſi non ex pacto, ſaltē ex ſtipulatu agi poſſit *l. pacto conuentum.* 15. *ff. de tranſact. l. duo.* 72. *ff. pro ſocio.* Hinc dixit Iureconſultus in *l.* 1. *§. ſciendum. de prætor. ſtipulat.* hoc agi in ſtipulationibus, vt quis interpoſita ſtipulatione cautior ſit & ſecurior. An autem verbum *promitto* in ſcripturam redactum ſtipulationem interueniſſe præſupponat, videatur Maſcard. *de probationib. vol.* 3. *concluſ.* 1334. Cu-

ius rei occaſione quæritur, ſi quis abſenti per epiſtolam reſcribat, aut per nunciũ reſpondeat, nõ ſimpliciter fideiubeo, ſed promiſcuè & mixtim fideiubeo, & promitto me velle ſoluere id, quod Titius tibi debet, vtrum, cum non poſſit conueniri tanquam fideiuſſor propter ſtipulationem in forma peccantem, ſaltem poſſit conueniri tanquã conſtituens actione de conſtituta pecunia: & ponderatis omnibus, quæ ad deciſionem huius quæſtionis excogitari & apud Dd. reperiri poſſunt, tutius pronunciandum iudico, hoc etiam caſu promittentem actione de conſtituta pecunia conueniri non poſſe, idq; ideò; quia contrahentes expreſsè hunc contractum nominarunt fideiuſſionem, & certum eſt quandò quædam verba vel aliæ qualitates inſtrumento comprehenſæ vnũ, aliæ alium contractum reſpiciunt, eum cõtractum cenſeri & intelligi celebratũ, quem contrahentes nominant, Iaſon in *l. fin. nu. 2. argumento illius textus. ff. de condict. cauſa data.* cũ aliis, quæ allegat Tiraq. *de vtroque retractu parte 1. §. 30. Gl. 1. n. 7. cum ſeqq.* Cum itaq; hoc caſu contrahentes voluerint celebrare cõtractum fideiuſſionis, & ſequentia verba ſint adiecta contemplatione fideiuſſionis, ideò ſuccedit regula iuris, quæ vult, quandò vnũ fit vel dicitur propter alterum, illud debere attendi, cuius contemplatione illud fit vel dici-

dicitur, *l. ſi ita fuero ſtipulatus. 6. cum l. ſeq. de nouat.* Ac & aliis compluribus rationibus modò dicta ſententia confirmari poſſet, licet interim non negem, in promptu eſſe fundamenta & quidem ſatis ſtringentia, quæ ancipitem cogitandi curam præbeant, adeoque contrarium ſuadere videantur, vt apparet ex traditis per Dd. in *l. miles ad ſororem. 77. de legat. 2. l. ſi inſula. de præſcr. verbis. l. quoties. 68. & ibi Cagnol. de reg. iur.*

§. ſi paciſcar.

PActo priuatorum ius rectè tollitur, non etiam publicum, adeò vt etiam iuramentum eiuſmodi pacto adiectum nihil operetur, tex. eſt hic, & *l. ius publicum. 39. infrà hoc tit.* cuius rei quinq; exempla hoc loco Vlpian. ſubiicit.

Primùm de re iudicata, contra quã tranſigi quidem non licet, *l. eleganter. 23. §. ſi quis poſt. de condict. indeb.* cum res iudicata rẽ claram reddat & indubiam, ſuper qua interpoſita tranſactio turpitudinem continere, ideoque nõ valere dicitur, Crauetta *conſ. 152. circa teſtamentum, n. 10.* Paciſci tamen ſuper ea prohibitum non eſt, & in hoc tranſactio diſtinguitur à pacto gratuito ſimpliciq; cõuẽtione, nec eſt in poteſtate partium facere, quod pactum ſit tranſactio; quippè quæ peculiaria quædam habeat, quæ partium

conſen-

conſenſu tolli nequeunt,vt quod fiat de lite incerta præſente vel futura,dato aliquo vel retento.*l.1.l.tranſactio. C.de tranſact.* Iaſon in *l.1.notab.5.n.15.ff.d.tit.*

Secundò de incendio ſecuto, non etiam ſecuturo,vt ſi inter locatorem & conductorem ædium incendio conſumptarum pactū interponatur; cum quidem conductor regulariter de eo, ad eiuſque emendationem non teneatur,*l.in iudicio.C.locati.*qua de re videantur plura apud Andream Geil.*lib.2.practicar.obſeruat.cap.21.22.* Mynſing.*cent.6.obſeruat.*88.Burſatum *conſ.59.vol.1.& conſ.312.vol.3.* Maſcard.*de probat.vol.1.concluſ.467.& 892.vol.2.*

Tertiò de noui operis nunciatione vel prohibitione,ne ad nouum opus modò cœptum procedatur, ideò à legibus nobis permiſſa,ne quis libera in ſuo ædificandi facultate alioqui ſibi conceſſa ad propriam libidinem & alterius iacturam inſolenter abutatur,*l.fin.de ſeruitut.l.fin.§.fin,quod vi aut clàm. l.altius,C.de ſeruitut.& aqua.* Quotieſcunque igitur eiuſmodi controuerſia, non concurrente tamen publico iure oritur, non dubium eſt,quin interpoſito pacto ea ſe dari poſſit,teſte IC.hic.

De furto, cum priuatum delictum ſit, etiamſi pœna mortis plectatur, Bald. in *cap.2. de pace iuram.firm.*per Gl.in *l.interdū.58.§.qui furem.*

furem. de furtis. Gl. in *l. penul. de cōdict. ob cauſam.* idem Bald. in *l. penult. C. ex delicto defuncti, &* Alexander in *additione ad Bart. Rubr. de furtis.* mirum non eſt ſi paciſci liceat. Difficilius eſt, quod quæritur, an tertiam furtiuarum rerum partem iudex, per quem fur iudicatus eſt, rectè ſibi vendicet, ſicuti certum eſt allegari eiuſmodi vel ſtatutum, vel conſuetudinem in quibuſdam Germaniæ inferioris locis, vigore cuius iudex, qui furem iudicauit, huiuſmodi tertiam retinet, quæ quæſtio hoc loco non vſque adeo incommodè tractatur: cum bonum ſit argumentum à pacto ad ſtatutum vel conſuetudinem, *l. fin. C. de fideiuſſorib.* Accurſ. in *Rubr. Codicis de decretis Decurionum.* Decian. *conſ. 21. n. 73. vol. 1. & conſil. 100. n. 56. vol. 2.* Etſi autem conſuetudo in quacunque materia ſeruanda ſit, latè Decian. *conſil. 16. nu. 1. vol. 2.* quæ quidem inducitur per tempus 30. vel 40. annorum etiam à non habentibus autoritatem legis condendæ & ſine principis ſcientia ac contra ius ciuile, imò contra Eccleſiam, idem Decian. *conſil. 51. n. 113. cum ſeqq. vol. 2.* Quia tamen eiuſmodi conſuetudo irrationabilis peccati nutritiua & cum proximi, cui ſuum abſque vlla cauſa ita eripitur, præſenti damno coniuncta eſt, magis eſt, vt dicatur, iudices prætextu eiuſmodi vel ſtatuti, vel cōſuetudinis tertiam rerum furtiuarum partem

non

non niſi cum ſumma iniquitate ſibi vendicare, *l. conſuetudinis. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo. can. chorepiſcopi. 58. diſtinct. cap. vigilanti. de præſcript. can. conſuetudo. diſtinct. 8. cap. ex parte extra de conſuetud.* præſertim cum per furtum furtiuæ rei dominium non tranſeat à vero domino rei, ſed ſub eius iure & dominio maneat, *§. 1. Inſtitut. de obligat. quæ ex quaſi del.* vnde illi vel tertia, vel alia pars rerũ furto ſublatarum iniuſtiſſimè eripitur, per ea, quæ allegat Menoch. *conſ. 161. n. 27. vol. 2.* Imo eius vitium furem & quemcunque alium ſcientem poſſeſſorem tanquam lepra leproſum ſequatur, *l. fin. C. de acquir. poſſ.*

Quintò de depoſito, etſi enim iura diuina & humana fidem & diligẽtiam in cuſtodiendis rebus depoſitis ab hominibus præſtari velit, *Exod. 22. l. 1. ff. depoſ.* Adeò, vt depoſitarius, qui rem depoſitam inuito domino ſciens prudenſque in vſus ſuos conuerterit furti conueniri poſſit, *l. 3. C. depoſ.* Si tamen ratione depoſiti controuerſia oriatur, illam pacto ſedari poſſe Vlp. hic autor eſt.

§. Et generaliter.

MEndum lectioni huius §. ſubeſſe ſtatuunt eruditi, qui certis de cauſis legendum putant; *obligat, cum nec iuſiurandum de hoc agatur*; vt ſenſus Vlpiani is ſit, pactum à iure communi, id eſt, re priuata remotum non obligat

obligat paciſcentes, adeò, vt nec iuramento firmetur, qua de re vide Duaren. hic & Cuiac. *lib. 1. obſeru. cap.* 24. Etſi enim magna ſit iuriſiurandi pactis adiecti vis & poteſtas, & actum valere faciat, quo meliore modo poteſt, *l. cum pater.* 79. *§. filius matrem. de legat.* 2. tanta tamen non eſt, vt vim & autoritatem legum labefactare & immutare poſſit, text. eſt hic, & *l. ſi quis inquilinos.* 115. *§. fin. de legat.* 1. *l. non dubium.* 5. *C. de ll. l. ſi quis pro eo.* 57. *de fideiuſſ.* vnde nec deficientem cauſam ſupplet, ſine qua promiſſio alioqui iuribus non ſubſiſtit, *l.* 2. *§. circa. de doli except.* Licet negari non poſſit conuentiones alioqui inualidas iureiurãdo roborari, *Auth. ſacramenta puberum, C. ſi aduerſus vendit.* vt mulieris interceſſio dotiſque alienatio, *cap. cum contingat.* 38. *de iureiur.* ſtipulatio alteri facta, Gl. *can. quoties. verb. & parte* 1. *quæſt.* 7. Donatio patria & coniugalis, Bart. in *l. Seius. ff. ad l. Falcid.* pactum de non ſuccedendo, *cap. quamuis.* 2. *de pactis. in* 6. pactum legis commiſſoriæ circa pignora, *cap. ſignificãte.* 7. *de pignor.* qua de re videãtur plura apud Zaſ. in *l. ſtipulatio hoc modo. n.* 28. 29. 30. *cũ multis ſeqq. de verb. obl.* Dd. in *d. Auth. ſacramenta. d. cap. cum contingat.* Quod ſi nihil eiuſmodi interuenerit, nullius momenti, in caſu pręſertim ius publicum concernẽte, erit interpoſita pactio, vt ſi de dote omninò non reddẽda conueniatur, *l. de die.* 14. *cum duab. ll. ſeqq. ff.*

de pa-

de pactis dotal. Quo in loco quæſtionis eſt, an pecuniæ dotalis nomine à marito cautio rectè exigatur? Et verius eſt iurique conuenientius, patrem ei, cui filiæ ſuæ corpus credit, nulla præſtita cautione, mobilia pecuniæ dotalis mēbra, & fortunæ ludibria multò magis concedere, & citra cautionem cōmittere debere, ne qua ſcilicet perfidiæ cauſa & ſuſpicio inter coniuges generetur, *l. 1. & 2. C. ne fideiuſſ. dotium dentur.* Præſertim verò cum matrimonio iam diſſoluto eiuſmodi pecunia verè ac ꝓpriè ſi loqui volumus, dotalis eſſe deſinat, & haberi incipiat in numero bonorum, quæ liberis ex materno genere obuenerunt, quibus vtendi fruendiq; ius marito ſuperſtiti competit, donec huius vitæ vſu fruitur, *l. 1. 2. 3. C. de bonis maternis.* & nullibi iure cautum ſit patri bonorum maternorum nomine cautionem præſtādi neceſſitatem incumbere; vnde cōſentaneum eſt, illam exigi nullo modo poſſe, argumento à lege ceſſante ducto, *§. conſideremus. Auth. de trient. & ſemiſſ. collat. 3. cum ſimilibus.* Etſi autē dotis nomine ſi non fideiuſſoria, at certè pignoratitia cautio danda ſit, Gl. fin. in *d. l. 2. C. ne fideiuſſ.* tamen hoc ita demum verum eſt, ſi maritus bona ſua propria, non etiam ſi alius quiſpiam nomine mariti bona ſua pignori obliget, quemadmodum Accurſius, Bart. & reliqui modò d. in l. ſcriptum reliquerunt.

Etſi et-

Etſi etiam fideiuſſorum dotis nomine poſt ſolutum matrimonium conſtitutorum paſſim fiat mentio, *l. ſi conſtante. §. quoties. ſoluto matr. l. exceptiones quæ perſonæ. in princip. verſ. ſic mariti fideiuſſor. de except.* & maritus poſt diſſolutum matrimonium dotis reddendæ nomine fideiuſſorẽ, ſi vult dare, poſſit ille quidem, Gl. fin. in *d. l. 2. verſ. item an poſt. C. ne fideiuſſ.* inde tamen non ſequitur, quod id facere neceſſe habeat, neque enim quod voluntati & arbitrio alicuius liberũ relinquitur, id neceſſitati quoque, protinus ſubiicitur, *l. ſolent. in princ. vbi Bart. nu. 2. de offic. proconſ. l. ſæpè audiui, Cæſarem. de off. præſidis. l. non quicquid. de iudic.* & hæc quidem extra controuerſiã ſunt poſita, difficilior quæſtio eſt, qua quæritur, an fideiuſſor à volente marito nondum dirempto matrimonio dotis cauſa datus obligetur? Et quidem negatiuæ ſententiæ patrocinatur Rubrica prohibitiuè concepta. *C. ne fideiuſſ. dotium, &c.* cõtra quam legis prohibitionem datus fideiuſſor vix eſt vt obligetur *l. non dubium. 5. C. de legib.* vbi ſola legis prohibitio clauſulam actus annulatoriam in ſe continet. Cum quidem vltra hoc huic contractui obſtet beneficii à lege maritis indulti autoritas, ne in plus, quam facere poſſint, conueniantur, *l. maritum. 13. ſol. matr.* hoc enim præſtita fideiuſſione fieret illuſorium, cum nihil impediat, quo minus creditor fi-

deiuſſorē, fideiuſſor Reum propter regreſſum fideiuſſionis in ſolidum conueniret ad conſequendum mandati actione, id quod eo nomine ſoluerit, cui quidem priuilegio renunciari non poteſt, neque locum habet eius beneficii tanquam contra bonos mores facta abdicatio, *l. alia cauſa.* 15. *§. eleganter. ff. d. tit.* Eſt & cum pactum hæredis cum creditoribus hæreditariis de remittenda parte debiti ante aditam hæreditatem ſuſtinetur. Ne poſteà à creditoribus vltra vires hæreditatis conuentus de ſuo ſatisfacere cogatur, quo in loco oportunè quæritur, an hæreditas adita dicatur hæreditas? Et communis omnium ſentētia eſt, quod non, Accurſ. Bartolus & cæteri in *l. eius qui in prouincia. ff. de reb. credit.* Næuiſanus in *ſylua nuptiali. §. ampliatur.* 1. *n.* 28. Tiraq. *de retractu gentilitio.* §. 11. *Gl.* 1. *nu.* 18. Decian. *conſ.* 1. *& quidem negari negabit. n.* 97. 191. *vol.* 2. Menoch. *conſ.* 89. *lib.* 1. quorū ſententia ex eo probatur, quòd adita hæreditas deſinat eſſe defuncti patrimonium & fiat patrimonium hæredis, *l. ſed ſi plures.* 10. *§. filio impuberi. ff. de vulgari.* Accurſ. in *l.* 1. *§. veteres. de acquir. poſſ.* Vſus huius rei eſſe poterit, ſi de filia agatur, an illa propter renunciationem mediante fortè iuramento factā, quod dote contenta nihil ex bonis paternis petere velit, fratri poſt aditam paternam hæreditatem defuncto prohibeatur ſuccedere.

Paulus

Paulus Caſtr. & Franciſc. Aretin. in *l. Paulus.* §. 1. *de acquir. hæred.* Neque obſtat, quod in cõtrarium allegari poterat, ex *l. poſt aditam. C. de impub. &c.* ex *toto tit. Digeſtor. & C. de petit. hær.* ex §. 1. *Inſtitut. qui manumit. non poſſ. & iurib. ſimilibus.* nam loquuntur de hæreditate adita quidem, non etiam apprehenſa bonorum poſſeſſione *l. 2. de crimine expilatæ hæredit.* & eo in caſu, quo hæreditas per fideicommiſſum alteri reſtituenda eſt, quo nihil obſtat, quin adita etiam nihilominus rectè dicatur hæreditas, *toto tit. Digeſt. & Codicis ad Trebell.* Iaſon in *l. 1. columna* 4. *C. unde vir & uxor.*

Etſi autẽ vir Catholicus præſumatur aditurus hæreditatem ſibi vel legẽ, vel teſtamẽto debitam, ex qua ſi nullum aliud emolumentum, hoc ſaltem commodum habet, quod exequendo voluntatem teſtatoris officium pietatis exerceat, Bart. in *Authent. ſed cum teſtator. num. 1. ad l. Falcid. l. nemo poteſt. num.* 4. *de legat.* 1. quia tamen in facto conſiſtit hæreditatis aditio *l. in bonæ fidei de acquir. rer. dom. l. pro hærede. de acquir. hæred.* quæ hæredi ex multis cauſis à IC. in *l. poterat* 4. *circa finem. ad Trebell.* relatis, partim moleſta, partim periculoſa eſſe poterat, omninò probanda eſt, *l. 2. & 3. de interrogat. actionibus.* Neque ex actu, qui poteſt habere duplicem ſenſum, & aditæ & non aditæ hæreditatis inducitur, *l. 1. §. ſed ſi perenni de condit. inſtitut.* Cuius rei multa

Digitized by Google

exempla vide apud Manticam *de coniecturis vlt.voluntatum lib.*12.*cap.*9.10.11.12.13. Maſcard.*de probat.volum.* 1.*concluſ.*40.*cum aliquot ſeqq.* Crauettam *conſil.*197.*quanquam & abunde.num.*4. Dicta ſint de nodoſa & ſalebroſa lege iuris gentiũ, de qua qui plura ſcire cupiunt, videant Dd. hic præſertim Fortun. Garziam Hiſpanum, & nouiſſimè Petrum Caleuatum.

SI CER-

SI CERTVM PE- TATUR.

HIc titulus propter vtiles in θεωρίᾳ & πράξει commendatas materias, quibus grauiſſimæ iuris quæſtiones explicantur, ex longa & inueterata Academiarum Italicarum cõſuetudine ordinariis lectionum curriculis annumeratus eſt, in quo neque difficultates deſunt, neque ſubtilitates, quarum tamen tędium ſubleuabit rerum hîc tractandarum frequentia & vtilitas, quam quidam nõ obſcurè oſtendit Rubrica concepta *de reb. creditis. ſi certũ petatur*, de certi condictione, quæ eſt in perſonam actio, *l. actionum genera. ff. de actionib. & obligat. §. omnium. Inſtit. de actionib.* Quæ an duplex vel vnica ſit, quæſtionis eſt, vt antiquæ, ita non parum controuerſæ, & vnicam eamque generalem eſſe apertè probatur ex *l. certi condictio. 9. §. quoniam infrà hoc tit.* vbi pro mutuo hanc certi condictionem generalem competere Iureconſultus aſſeruit. Omiſſis autem aliis quæſtionibus, quas circa demonſtrandam continuationis rationem hoc in loco cumulant interpretes vnicam attingo, quare ſcilicet actiones per-

Google

ſonales ex contractibus profectæ iis præfe-rantur,quæ ex delicto deſcendunt. Digniores eſſe aſſerit Bart.hîc,eumque ſecutus Decius,qui huius rei hanc affert ratione͂, quod ex contractu proficiſcentes verum conſenſum:ex delicto deſcendentes aliqualem ſaltem,non tamen verum & proprium co͂ſenſum habeant. Quod vix eſt vt ſuſtineri poſſit. Etſi enim ſunt qui in delictis conſenſum etiam ad pœnam interuenire exiſtimant, *l. fin.C.de collat.fund.patrimonial.lib.*11. facit *l.Imperatores.*34.*ff.de iure fiſci.* vnde traditum eſt, delinquentem ad pœnam naturaliter obligari,*l.ſi à Reo.*1.§.*fin.ff. de fideiuſſ.l.*1.§. 1.*ff.ſi quis teſtam.liber eſſe,&c.* Accurſ.in *l.*1.§.*beſtias.ff. de poſtul.* propterea quod in pœnam conſentiat qui delicto conſenſit, quippè quod præparatio quædam eſt, & quoddam ad pœna͂ antecedens,*l. quæſitum.ff.qui & à quib. &c. l.aliud eſt fraus.ff.de verb.ſign.* Perperam tamen hoc caſu conſenſus præſumitur; cum in ciuilib. etiam cauſis coniunctis cum grauiori præiudicio lex diſſenſum præſumat, *l. Paulus.ff.de furtis.* Accurſ.in *l.* 2.*de acquir.poſſ.* & exinde multò magis in pœnis, quaru͂ minima mulcta pecuniaria etiam maxima eſt grauior, *l. in ſeruorum.ff.de pœnis.* vnde rectius dicitur, delinquentem potius in eo conſentire, vt pœnas effugiat, quam ſuſtineat, qua de re vide Arium Pinelum in *Auth.niſi.nu.* 32. *C.de*

bonis

bonis maternis. cuius ſententia confirmari videtur ex *l.1.ff. de bonis eorum qui ante ſententiã*, *& l.4. in princ.ff.de actionib. & obl.* ex quibus apparet, quod ratio naturalis & publica vtilitas pœnam inducant contra voluntariè delinquentem, licet in pœnam nullatenus conſentientem. Commodius itaque dicitur in titulorum ſubordinatione ſolummodò congruam materiarum applicationem & coniunctionem à compilatoribus conſideratam fuiſſe, ſecundum Cagnolum hic *num*.47.

Cæterum tractatur hic de mutuo, ſic dicto, quòd de meo tuum fiat, *l.2.§.appellata. hoc tit.* Eſtque contractus ſtricti iuris re celebratus cum translatione dominii & obligatione reſtituendi tantundem in eodem genere & eadem bonitate, *l.cum quid.3.ſi cert.pet.* qua de re vide Menoch. *de præſumpt.lib.3.præſump.* 67. vbi mutuum ita contractum præſumitur, vt tantundem eius bonitatis reſtituatur, vide etiam de definitione Mutui Cuiac. *lib.* 11.*obſeru.cap.*27. Vſus mutui tripliciter conſideratur ſecundum Molinæum *de vſuris, num.* 73. Aut enim mutuo damus per modum eleemoſynæ indigenti abſque omni ſpe reſtitutionis, niſi quatenus ad pinguiorem fortunam mutuo taliter accipiens peruenerit, adeoq; commodè reddere poſſit. Ad quod mutuum officium exercendũ impenſè nos

hortatur: I. Diuinæ legis cum ampliſſima promiſſione coniuncta autoritas, *Deuter.* 15. ibi: *propter hoc officium benedicet tibi dominus.* Secundò officium Chriſtianorum, quorum verus & genuinus cultus eſt, pauperes & in neceſſitate conſtitutos adiuuare, *l. 1. C. de epiſ. aud.* III. Diuina protectio. Confitentur enim ſagæ, hominem in pauperes munificũ, quamuis alioqui vitioſum, magicis tamen ſordibus non offendi poſſe, quade re vide Bodinum *lib. 3. de Dæmonimania, cap.* 1. *mihi fol.* 237. IV. Conſideratio humanæ conditionis, qua nihil incertius; cum præſens ſtatus futuram calamitatem præſagiat, *l. habitatores.* 30. *§. fin. locati. l. verum.* 12. *§. ſi locupleti. de minorib. l. qui bona.* 13. *§. cum inter. de damno infecto. l. 3. cum ſeqq. de donat. cauſa mortis.* Vt & è contra ſæpenumerò ad ſummas dignitates tenuiores euehuntur, argumento *l. item veniunt.* 20. *§. item non ſolum. de petit. hæred.* V. Denique quòd diuitiarum munimentum omnium maximum ac firmiſſimum ſit hic vſus mutui, vel hæc aduerſus egentes benignitas, cum res humanas penitius intuentibus manifeſtum ſit, nullas familias tàm eſſe florentes, quàm quæ egentium ac tenuiorũ curam habuerunt maximam. Neutiquam itaque pauperi indigenti in Chriſti præſertim nomine petenti, Chriſti vulnera obteſtanti & regnum cœleſte promittenti, imò magni-

magnificentiſſima præmia pollicēti manus contrahenda eſt,*can.exitum,*1.*quæſt.*7. Gl.*can. ſicuti hi.verb.eſurienti.nu.*47.*diſtinct.can.domino ſancto.verb.neceſſitate.*5 o.*diſtin.*

Secundus vſus Mutui ſecundum Molinæum eſt, quādò mutuum damus, cum certa ſpe recipiendi.

Tertius fit per modum negociationis, quandò creditor non mutuat gratis, ſed de certo quæſtu paciſcitur.

Eſt & cum mutuum à Dd. quadrupliciter conſideratur, & quidem diuerſa ratione; nā aut mutuum naturale propter interuenientem naturalem numerationē dicitur, quod verum & Germanum Zaſius appellat *l.*2. §. *creditum.n.*25.*hoc noſtro tit.* Secundò mutuū naturale autoritate iuris ciuilis munitum, vt cum ego tua volūtate pecuniam mutuo datam Titio numero, quo caſu tibi beneficio iuris ciuilis acquiritur actio, *d.*§.*creditū verb. & quia tale.* Tertiò mutuum merè ciuile, in quo ſola iuris poteſtas, nulla etiam, vt Zaſius modò dicto in loco, *num.*27. loquitur, naturalitas interuenit, vt cum cōfiteor me recepiſſe, quod nequaquam recepi, ſed ſpes eſt futuræ numerationis, *toto tit.C. de non numer.pecun. & Inſtitut. de liter. obligat.* Quartò mutuum ciuile, cui natura cooperatur, cum tibi realiter numero pecuniam, in quo contractu poſteà interuenit ſtipulatio de red-

dendo, quæ extincta actione mutui dominatur & præualet, text. eſt expreſſus in *l. ſi ita fuero ſtipulatus. 6. cum l. ſeq. ff. de nouat.*

Qui autem mutui contractum celebrare poſſint, qui non poſſint, planũ eſt ex iis, quæ *legi iuriſgentium. de pactis.* à me præmiſſa ſunt, de procuratore ad mutuandum conſtituto, an is de recepta etiã pecunia confiteri poſſit, probabilius quæritur. Etſi autem Bartoli & ſequacium ſententia, quatenus à Neotericis allegatur, communis ſit, *l. 2. §. creditum. verſ. in mutui autem datione. n. 5. 6. hoc tit.* quia tamen ſcriptura ideo datur, vt de contractu conſtet, *l. contrahitur. 4. de pignorib. l. Publia. 26. §. fin. depoſ.* non eſt, quod ad contrahendum conſtituto fidem de contractu à ſe celebrato, præſertim ſi res ſubſit, derogemus, qua de re vide Zaſ. in *d. l. 2. §. fin. n. 28. 29. hoc tit.* Item *lib. 1. reſponſorum ſingulariũ cap. 21.* Pro cuius ſententia facit expreſſus text. in *l. Lucius. 47. §. tutelæ de adminiſt. tut.* plura videantur apud Franciſcum Sarmientum *lib. 3. ſelectarũ interpretationum cap. 11.* vbi *num. 2. & 3.* ad cõtraria Bartoli argumenta reſpondet, item apud Nicolaum Motium in *tract. de mutuo. §. venio ad primum. nu. 5. 6. 7. 8. 9. mihi fol. 66. &c.* Eſt etiam cum de prælato quæritur, an ille mutuo recipiens pecunias Eccleſiam obliget? quod verius eſt, ita tamen vt mutuans Eccleſiæ repetiturus ſuas pecunias probare tenea-

teneatur in vtilitatem Eccleſiæ verſas eſſe, *Auth. hoc ius correctum. C. de ſacroſ. Eccl. cap. quod quibuſdam. 4. extra de fideiuſſ.* vbi etiam Abbas: qua de re vide plura apud Maſcard. *de probat. vol. 3. concl.* 1160. 1161. Menoch. *de præſump. lib. 3. præſumpt.* 55. plura quæ hoc in loco perquã opportunè poſſint ſubiici, reſeruantur explicanda in ll. ſeqq. in quibus tanquam in locis ordinariis commodius tractari & felicius reperiri poterunt.

Ad *leg. I.*

VLpianus interpretaturus edictum prætoris ius dicẽtis de rebus creditis exorditur hunc tit. à generali doctrina principiorum in hunc ſenſum arguens; Ad cognitionem ſpecierum debet pręcedere cognitio generis, *l. 1. ff. de iuſt. & iure.* Sed verbum *rei* & verbum *credendi* ſunt generalia. Ergo prius de illis generalibus, id eſt, *de rebus creditis* & *credendi* verbo aliquid pręmittendum eſt: an autem aliqui tituli in Pandectis generales ſint, videatur Cuiac. *lib. 7. obſeru. cap.* 32. vbi contra Anton. Contium, *lib. 1. diſputationum iuris ciuilis cap. 4. diſputat.*

Deinde Vlp. hoc ſuum exordium declarat multipliciter, *l. 1. ff. de rer. diuiſ.* ex quo apparet licitũ eſſe arguere ab ordine & à verbis Rubricarũ, idque exemplo Vlpiani hîc, qui tractaturus de variis contractibus præmittit

mittit generalem tit.*de reb.creditis.* facit *l.2.de ſtatu homin.l.idem Labeo.ff.rer.amot. l.incerti. C. de interdict.l.ordinarii. C. de rei vind.l.2.C.de iuriſdict.omnium iudic.* Sicuti igitur rectè arguitur ab ordine literæ, ita non rectè arguitur ad maioritatem dignitatis materiæ ex ordine diuerſarum Rubricarum, cum compilatores Digeſtorum tantum aptè & congruẽter materias connectere, non etiam earum dignitatem conſiderare voluerint, cuius rei occaſione de præcedentia honoris & loci hoc in loco quæritur. Etſi autem vniuerſa mundi gloria, quo ad Deum ſit vanitas vanitatum & omnia vanitas, *Eccleſiaſt.*1.*Pſal.*38. ſi tamen mihi tabellæ & iura ſuffragiorum, hac in parte tribuantur, non abſonum putauerim habendam eſſe rationem ordinis, quo nihil ad intuendum pulchrius, aut ad animi oblectationem iucũdius, aut ad vſum poteſt eſſe commodius, *Auth.de Monachis.§. ordinationem.collat.*1. Vnde ſapienter noſtri præcipiunt, quod nihil præpoſterè turbato ordine agendum ſit, Cagnol.in *proœm.ff.§.itaque.n.*144.cum ex his, quæ inordinatè acta ſunt, agi non poſſit ordinabiliter, *cap.qualiter & quando.*1.*de accuſat.* cum multis aliis, quę allegat Anton. Neguzantius *de pignorib.in prin. n.*1. qua de re, id eſt, de ordine in ſeſſionibus & locis obſeruando videantur plura apud Tiberium Decian.*conſ.*21.*& certè quoad Deũ.*

vol.

*vol.*1 per totum, Menoch. *conſ.*51. *cum rerum omniũ.* item *conſ.*52. *dubia ſemper, vol.*1. Simon Piſtoris *conſ.*18. quod habetur inter conſilia Modeſtini Piſtoris mihi *fol.*988. item Modeſtinus Piſtoris *conſ.*51. *lib.*1. Menoch. *conſil.*226. *nobiles certè, vol.*2. Caſſanæus in *cõſuetud. Burgundicis Rubr.*6.§.4. *mihi fol.*850. *nu.*17.18.19. Quibus in locis concluditur ad conſeruationem humanæ ſocietatis & ciuilis politiæ neceſſariam eſſe graduum diſtributionem, quæ quidem vnitatẽ conſeruat & concordiam, *can. adhæc.*89. *diſtinct. l. honor.* §. *gerendorum. ff. de mun. & honor. can. ordo.*33. *quæſt.*5. *l. fin. vbi Lucas de Penna, C. de his, qui ſponte munera ſubeunt, lib.*12. Cæterum hæc lex à Dd. ad multa in materia teſtium, præſertim verò interrogatoriorum partis aduerſæ, contra quam teſtes producuntur, extenditur: quid enim ſi teſtis ad articulum ſpecialiter ſuper mutuo, poſſeſſione, &c. conceptum affirmatiuè deponat, & poſteà generaliter interrogatus, quid ſit mutuum vel poſſeſſio, ſe neſcire afferat, vt vel ex eo appareat in quãto verſetur iudex periculo, qui teſtibus præſertim iuratis credere neceſſe habet, & accepta ex eorum dictis informatione ſæpenumerò in capitis, exiſtimationis & omniũ fortunarũ cauſa, dicere cogitur; vnde magna circumſpectione iudicem vti oportet, cuius fidei lex hæc omnia commendauit. *l.*3.

§.1. *ff.*

§.1.*ff. de teſtib.* adeò vt non deſint qui in capitalibus cauſis non quidem in tabulas à Notario redactis teſtimoniis innitendum, ſed teſtes ipſos accerſendos, coràm audiendos, conſpiciendos, vultum & geſtus conſiderãdos, & omnia exactè inquirenda eſſe cenſeant, argumento *d. l.3. ff. de teſtib. §. hæc omnia, Nouell. de teſtib. collat.7. Authen. apud eloquentiſſimum. C. de fide inſtru.* Eiuſmodi quid eſt quod hoc loco à Dd. quæritur, ſi teſtis nullam ſui dicti aliam quam generalem rationem ſubiiciat, an ei credendum ſit? vt ſcio; quia ſum vicinus, ſcio; quia conſanguineus, *l.1. ff. de fluminib. cap. quoſdam. de præſumpt. l. octaui. ff. vnde cognati. l. de tutelæ. C. de in int. reſtit.* Vicinus enim facta vicini ſcire prçſumitur, *d. cap. quoſdam. cap. quanto. de præſumpt. cap. cum dilectus. de purgat. canon. l. filium. 6. ff. de his qui ſunt ſui, &c.* Quod verum eſt in cauſis tractum ſucceſſiuum habentibus, non etiã in momentaneis, Salicetus, Fulgoſius & poſteriores hic, & Baldus in *l. conuenticula. colum.* 5. *C. de Epiſc. & Cleric.* Maſcard. *de probat. vol.3. concluſ.*1406. 1407. idem etiam de conſanguineis dicitur, de quibus idem Maſcard. *de probat. vol.* 1. *concluſ.* 413. Quorum tamẽ teſtimonia indiſtinctè non admittuntur, ob nimium ſcilicet & impenſum ſtudium, quo erga ſuos tàm propinquos naturali quadam vi afficiuntur, *l. parentes, & ibi Dd. C. de teſtib.* Maſcar. *de probat.*

vol.1.

*vol.*1.*concluſ.*136. Niſi tamen caſus emerſerit, in quo propinquorum fides magis, quam aliorum requireretur, *l. etiam matris. C. de probat.* vel cum non quidem à litigatore, ſed ab ipſo iudice teſtimonium conſanguinei requiritur. *cap. literas. de præſumpt.* qua de re vide plura apud Maſcard. *d. loco vol.* 1. *concluſ.* 74. 310. 408. 412. Admonemur etiam hac lege noſtra ab Vlpiano Celſi ſuffragium allegante de argumento ducto ab autoritate, quod in iure eſt validum, Menoch. *conſil.* 150. *nulla fortè, num.* 54. *vol.* 2. ita tamen, vt non quorũcunque, ſed præſtantiſſimorum in ſua arte virorum autoritati deferatur, *l. 1. ff. de decurionib.* eſt enim pro regula traditum, peritorũ iudiciis in ſua arte credẽdum eſſe, *l.* 1. *in prin. ff. de vẽtre inſpic. cap. propoſuiſti. de probat.* ſic medicorum ſententia citatur in iis, quæ ad medicinæ diſciplinam pertinent, *l. ſemel. C. de re militari. lib.* 12. *l. inteſtato.* §. *fin. de ſuis & legit. l. ſeptimo menſe.* 12. *de ſtatu hominum. Auth. de reſtitut. fideicom. & ea quæ parit vndecimo menſe. l. ædiles aiunt. de ædil. edicto. l. inteſtato.* §. *fin. de ſuis & legit.* ſic in Philoſophia Platoni & Ariſtoteli, *l. vlt. ff. de nundinis. l. ſi pater. de ſolut.* in poëſi Homero & Virgilio, *l. in tantum.* §. *fin. de rer. diuiſ.* in oratoria Ciceroni meritò creditur, *l.* 2. §. *Seruius. de orig. iuris.* Zaſ. in *l.* 1. §. *fin. nu.* 9. *de verb. obl.* Mynſing. *cent.* 6. *obſeru.* 34. Maſcar. *de probat. vol.* 3. *concl.* 1125. 1169. Felinus in *cap.*

propoſuiſti,n.6.7.8.9.10.de probat. Diligentiſſima tamen adhibenda eſt hac in parte circumſpectio, cum multa ſint, quæ in magni etiam nominis Doctoribus partim conſiderari, partim vitari poſſunt & debent: ſicuti enim in quibuſdam fuit vitæ ſanctitas, vt in Ioanne de Anania, teſte Andrea Barbatia in *tract. de teſtib. parte 2. num. 6.* In quibuſdam cõmendatur experientia, vt in Andrea de Iſernia, idem ibidem, *num. 5.* quæ plus interdum operatur quàm iuris theorica. §. *ordinatione. Authen. de Monachis.* Imò ipſa rerum magiſtra dicitur, *cap. vbi periculum. cap. quam ſit. de elect. in 6.* qua de relatè Næuiſanus in *ſylua nuptiali lib. 3. num. 7.* Arius Pinelus in *l. 2. parte 2. cap. 4. num. 2. 3. C. de reſcind. vend.* cum natura potentem, ars facilem, vſus promptum reddat artificem, Dambuderius in *tract. ſubhaſtationum ſtatim in princ. num. 6.* Vnde non ſemper ſcientiæ vel cognitioni inſiſtendũ, ſed ex ſententia Senecæ frequenter etiam negociandum eſt, cum ſcientia parum proficiat, niſi etiam benè & frequenter ad negocia applicetur, Ioan. Faber §. *ſed non vſque adeò. ad finem. Inſtit. de legat.* cuius rei hæc à Dd. aſſignatur ratio, quòd regulæ ac præceptiones iuris plerunque ac ferè ſemper ſint generales & obſcuræ, *l. ita fidei. ad finem. ff. de iure fiſci.* cum è contra in iure potiora ſint ea, quæ ad ſpeciem directa ſunt, *l. in toto. de R. I.* In quibuſdã ſuccincta

cincta breuitas, elegantia & in explicando felicitas, vt in Felino, Bodinus de *Rep. lib. 3. cap. 3. mihi fol.* 218. Maſſa de exercitio iuriſprudentiæ *lib. 1. nu.* 257. In quibuſdam acrimonia ingenii, vt in Paulo de Caſtro, teſte Menoch. in 15. *remed. recuperandæ poſſeſſionis, n.* 476. qui etiam maximus practicus & realis fuiſſe ſcribitur, cui in his, quæ practicam concernũt, magis quam cæteris nouiſſimis credendum, aſſerit Hippolytus Riminaldus *conſ.* 267. *lib.* 1. In quibuſdam fides & integritas, vt in Accurſio, cum quo libentius, quam cum cæteris hallucinari ſe velle, ſcribit Iohannes Sapeta, *de collationib. cap. 5. num.* 88. In quibuſdam eruditio, vt in Alexandro ab Alexandro, teſte Menoch. in *ſexto remedio. recuper. poſſ. num.* 9. In quibuſdam conſcientia, vt in Iacobo de Anania, teſte Deciano *conſil.* 88. *quæritur ergo, nu.* 35. *vol.* 2. In quibuſdam facundia, vt in Zaſio, Cagnol. in *l.* 2. *verſ. exactis. n.* 41. *de orig. iuris.* Ita in quibuſdã reprehenditur auaritia, vt in Angelo Aretino, qui aliquãdò pecunia corruptus iniquã ſententiam tuliſſe ſcribitur; vnde carceri mancipatus nominis & capitis maximum fuiſſet paſſus periculum niſi illi præſto fuiſſent totius ferè Italiæ collegia, qui pro illo interrogati reſponderunt teſte Menoch. *remed. 9. rec. poſſ. num.* 370. In quibuſdam varietas ac inconſtantia, vt in Baldo, qui nemini no-

ſtrorum poſtponendus eſſet ſi ſibi conſtitiſſet, & ingenio non nimium indulſiſſet, Tiraq. *de præſcrip.* §. 1. *Gl.* 4. *verſ. in quare Baldus &c.* qui tamen nulli vnquam ſententiæ defuit, & omnium noſtrorum copiam ſuperauit, Tiraq. *de retr. gentilitio.* §. 9. *Gl.* 3. *& vlt. nu.* 14. qua de re vide plura apud Tiberiũ Decian. in ſua cõtra Alciatum apologia ferè per totum. Fit etiam à Iureconſulto mentio hîc de ſignificatione vocabuli REI, quæ latiſſimè patet, vnde apud Logicos dicitur terminus tranſcendens, id eſt, omnia ſignificata ſuperans, & quæ ad omnia rectè accõmodetur, adeò vt factum quoque appellatione REI comprehendatur, Gl. in *verb. Rei. Inſtitut. de obl.* & in *l.* 1. *verb. Rei. hoc tit.* facit *l. naturalis.* 5. §. *ſed ſi facio. verſ. ſin autem. de præſcript. verbis.* cum quidem verbum facere & ipſum valdè generale ſit, quippè quod omnem omninò faciendi cauſam complectatur dandi, ſoluendi, numerandi, iudicandi, ambulandi, &c. *l. verbum.* 218. *ff. de verb. ſign.* Itẽ iura & actiones, *l. rei appellatione.* 23. *ff. de verb. ſig.* Item ad ſeruos & mancipia, *l. omnia.* §. *fin. de legat.* 3. Denique liberi & homines, *cap.* 2. *ibi; rem, quæ culpa caret de conſtitut.* Etſi autem non deſint, qui in liberis hominibus id non admittant, cũ liber homo ſit nobiliſſima creatura, *l. iuſtiſſime.* 44. *ff. de ædilit. edicto.* & finis omnium productorum, teſte Cardinali Albano

bano in *lucubrationib.ad Bart.in l. in pecudum de vſuris.* tamen Iureconſultus rerum corporalium numero etiam homines adiunxit in *l.* 1.*§.præterea.ff.de rer.diuiſ.* Sciendum tamē eſt, hanc voculam ſeu dictionem Res interdū non ſimpliciter & abſolutè, ſed reſpectiuè poni, quo caſu omne aliud rei contemplatione comprehēditur; præter id, cuius reſpectu ponitur, *§.fin.Inſtit.de iure naturali.* genus enim ad ea, quæ expreſſa ſunt, non refertur, *l.doli clauſula.& ibi Dd.ff.de verb.obl.* Interdum ſimpliciter & abſolutè profertur, non etiam reſpectiuè, quo caſu omnia, quæcunque in rerum natura obuia ſunt, comprehendit, *d. l.rei appellatione.de verb.ſig.* plura de hac re vide apud Nicolaum Motium *de cōtractib.cap.* 8.*mihi fol.*47.per totum.

Cum itaque tam generalis ſit Rei ſignificatio, an eius appellatione bona etiā feudalia veniant, quæritur? Ad cuius quæſtionis commodiorem explicationem præmitto, generalibus feuda non contineri, *cap.in generali.& ibi Dd.ſi de feud.def.cont.ſit inter dom.&c.cap.1.ad finem.de capitaneo, qui curiam vendidit;&c.* vbi in generali alienatione, non continetur feudum, niſi nominatim dictum ſit; ſicuti nec in generali donatione bonorum, nec in generali hypotheca, nec in reſcriptis ſimpliciter impetratis, nec in ſtatuto de dote locanda bona feudalia veniunt, per mul-

 ta

ta quæ allegat Tiraq. in *tract. de vtroque retractu. §. 1. Gl. 3. verb. quæpiam bona, num. 4. 5. 6. &c.* quia enim ſeparatam à reliquis bonis habēt naturam, ideoque ſpecialem requirunt expreſſionem, ex veriſimili mente loquentis vel diſponentis non comprehenduntur, idque propter euitandam pœnam caducitatis & amiſſionis omnium bonorum feudalium, quæ incurritur alienatione eiuſmodi bonorum abſque licentia domini directi, *d. cap. generali. & d. cap. 1. de Capitaneo, &c.* In regno tamen Galliarum feuda ſunt redacta ad inſtar patrimoniorū, Ioh. Faber in *Authen. ingreſſi C. de ſacr. ſan. Eccl. & in Rubr. Inſtitut. de empt. & vend.* Guido Papæ *quæſt. 59.* adeò, vt in iis ſuccedatur ea ratione, quo in patrimonio iure communi ſucceditur, Caſſaneus *de conſuetud. Burgundicis tit: des fiz, id eſt, de feudo, §. 5. mihi fol. 430. &c.* idque cum maximo nobilitatis Gallicæ præiudicio, quæ multò clarior futura erat & illuſtrior, ſi legibus & moribus feudorū ſemper acquieuiſſent, Bodin. *de Rep. lib. 5. cap. 2. mihi fol. 534.* Non enim dubium eſt, quin cum nobilium familiarum & patriciarum gentium iactura vel inopia cōiuncta ſit hæc facultas feuda alienandi: quotieſcunque igitur de bonis feudalibus, an ea generali rerum appellatione contineantur quæritur? Magis eſt, vt diſtinguatur inter ea feuda, quæ diſponens, renuncians, alienans,

&c.

&c. ab alio tenet,& inter ea, quæ alii ab ipſo diſponente tenent. Primo caſu receptior eſt & magis communis opinio eorum, qui negant comprehendi,propterea quod ſpecialem expreſſionem tanquam ſeparatam naturam habentia requirant,per multa, quę allegat Cagnol. hic *num.66.67.cum ſeqq.* Secundo caſu eo minus dubitandum eſt,quod ſcilicet feuda, quæ alii ab ipſo contrahente vel diſponente recognoſcunt nequaquam generali rerum appellatione veniant, idem Cagnol. hic *nu.68.69.* vbi huius rei hanc aſſignat rationem, quod nemo ſub generalitate ea velit intelligi, quæ ſummo ſunt apud eum in precio, vt ſunt eiuſmodi feuda annexam dignitatem & iuriſdictionem in homines præſertim nobiles habentia, argumẽto *l.obligatione generali. 6.ff. de pignorib.* Arius Pinelus in *Rubr.de bonis maternis,n.*47.Curtius *lib.2.communium concluſ.cap.*45.Maſcard.*de probat.vol.3.concluſ.*1120. Neguzantius *de pignorib.parte 2.membro 2.§.ſequitur modo,nu.*40. Feuda enim nobilia & gentilia in maxima apud omnes ſunt conſideratione,&eum etiam, qui anteà erat ignobilis, nobilitat, per ea,quæ allegat Decian.*conſ.*21. *& quanquam, n.*47.48.*vol.*1.vbi multa de feudis & iuriſdictionibus,præſertim à principe conceſſis ꝙ ea nobilitent. Modo tamen fiduciæ tabulis ac legibus ab ipſo principe nobilitas diſertè

bus ipſis expreſſa & poſſeſſoribus tributa ſit, Bodin.*de Rep.lib.3.cap.8.mihi fol.*354.vbi tamē videtur ſentire cōtrarium, quod ſecundum eum nihil abſurdius, nihil pernicioſius ſit, quam dignitatem quæſtu, ordinem pecuniis, nobilitatem opibus metiri. Sicut eſt contra vaſallus infeudatus de modico feudo nō nobilitatur; cum de modicis non curetur, argumento *l. ſcio. de minorib. l. in reb.§.poſſunt. commod.*ita Paris de Puteo in *cap.1.colum.5.ex quib.cauſis feud.amitt.* Caueant itaque iudices & aduertant iuriſperiti, non tantum tribuendum eſſe argumēto ducto à generalibus, Arius Pinelus in *Rubr.C.de bonis matern. n.fin.* plura de hac lege ſcituri videant Cagnol. hic, qui omnium copioſiſſimè in eam commentatus eſt.

Ad *leg. II.*

AD cauſatorum plenam notitiam aſſequendam cauſæ eorum inquirendæ ſunt, argumento *cap. intelligentia. de verb.ſign.* vnde plerumque ab interpretibus in principiis operum cauſæ examinantur, efficiens, materialis, formalis & finalis, Cagnol. in *proœm. Digeſt.* ſtatim in princ. facit *can. quod non. 32. quæſt. 2. can. quia corpus. can. panis. de conſecrat. diſtinct. 2. cap. 1. §. vna abſque. de ſumma trinit. can. non fruſtrà. can. de occid. dis. 23. quæſt. 5. can. in ſynodo diſtinct. 4. cap. in quadam, de celebrat. miſſar.*

Cau-

Cauſam efficientem MVTVI conſtituit Iureconſultus hic in *§.fin.* rerum mutuo datarum dominium: etſi autem ſerui etiam mutuo dent; tamen præſumitur hoc caſu interuenire tacitus domini conſenſus, cui etiam ex eiuſmodi mutuo obligatio acquiritur, *l.1. §.ſi ſeruus communis.de ſtipulat.ſeruor.*

Ex eo autem, quod circa cauſam efficientem de dominio mutuo dantis, quod quidē in mutuo accipientem transfertur, vt in explicatione cauſæ finalis dicetur, Bal. hic rationē elicit, quare in mutuo vſuræ ſint prohibitæ. Cum enim mutuum accipiens rerū mutuo acceptarum fiat dominus, & vix ſit, vt vſus à dominio diſcerni poſſit, neceſſe eſt, vt dicamus non quidem pro vſu aut re ipſa dari mutuum, ſed pro tempore, quo debitor ad ſui commodum re propria vtatur, Gl. *can.* 1.14.*quæſt.*1. Aliam huius rei rationem reiecta Baldi tanquam ſubtiliori & nimis longè petita aſſignat Coraſius *lib.3.Miſcell.cap.*21. *n.*7. ne ſcilicet homines conſtituti in neceſſitate, quæ acre telum eſt, & prodigos facit in maxima inopia, pecunias ſub quacunque etiam lege mutuo acciperēt, & ita vſura multiplici omnia arrodente ad extremam tandem redigerētur inopiam. Quod ipſum diſertè eſt à Deo prohibitum *Leuitici* 25.*Exodi* 22. Etſi autem non deſint, qui his & aliis eiuſmodi partim diuini, partim humani iu-

ris locis non prohiberi confirment contractum, quo non quidem certum reditum vel ſummam nobis ſtipulamur, ſed pecunia apud virum probum collocata in illius fide & probitate acquieſcimus & qualicunque pecuniæ fructu pro ratione diuinæ benedictionis quam expertus eſt pecuniæ exercitor, contenti ſumus argumento eorum, quę tradit Lutherus *Tomo 3. Ienenſi mihi fol.* 343. ſub Rubr. von ſchädlichē vnd räubiſchen vmſchläg. Bulingerus *Tomo 2. Decad. 3. ſermone* 1. §. *vſura eſt, cum alteri, &c. fol.* 94. Danda tamen opera eſt, ne latius extēdatur, quod ſub moderata conditione vſurpari poterat, plura de hac prima cauſa efficiente videantur apud Nicol. Motium *de contractib. tit. de mutuo, & de perſonis, quæ mutuum poſſint contrahere.*

Cauſa materialis MVTVI ſunt res numero, pondere & menſura conſiſtentes, §. *mutui datio. hac l. noſtra.* cuius ſubobſcuri & difficilis §. ſenſus genuinus hic eſſe videtur: cum mutuum quid datur, ſiue frumentum illud fuerit, ſiue vinum, aut aliud eiuſmodi, non illud ipſum frumentum vel vinum vti indiuiduū ſed aliud frumentum vel vinum eiuſdē generis recipitur, vt ita hæc res dubio carere videatur. Maior in eo verſatur difficultas, quam mouet Zaſius *lib. 1. intellectuum ſingularium cap.* 1. quomodo functionem recipiant hæ res magis per ſolutionem, quam per ſpeciem,

ciem, cum functio ex ſpecie potius rerumq; ſimilitudine, quam ex ſolutione appareat, ſed verius eſt, hîc non ſolutionis & ſpeciei, ſed potius ſolutionis in genere & ſolutionis in ſpecie fieri comparationem, ita vt ea quę numero, pondere & menſura conſiſtunt, magis per ſolutionem generis quam per ſolutionem ſpeciei functionem recipiât: qua in re verſatur vtriuſque contrahentium vtilitas, accipientis quidem cui impoſſibile eſt rem mutuo acceptam, ſed iam conſumptã reſtituere, dantis verò, cui ſatisfit, ſi rem eiuſdem generis & bonitatis recipiat, *l. cum quid. 3. infrà hoc tit.* Cuius nulla eſt alia ratio, quam earum rerum ſimilitudo & quaſi quædam identitas, quæ vix eſt, vt in aliis rebus ita reperiatur, vide plura apud Duaren. *lib. 1. anniuerſar. diſputationum cap.* 14. Molin. *de vſuris n.* 18. Robertum Aurelianenſem *lib. 3. ſententiarum iuris cap.* 14. Quæritur hoc in loco cum numero conſtare debeant ea circa quę mutuum conſiſtit, an in vnico nummo cõtrahatur mutuum. Etſi autem vnitas numerus non ſit, ſed principium numeri, Accurſ. in *l. ſi quis ante. de acquir. poſſ.* quia tamen ratio, quare his rebus in creditum imus, viget etiã in vno nummo, cum nihil obſtet, quo minus vnus nummus recipiat functionẽ in ſuo genere, magis eſt, vt dicamus etiam in nummo mutuum contrahi. Diluenda etiam hoc

loco eſt difficultas, quæ ratio à Iureconſulto hic aſſignata, eadem cum ſuo dicto traditur, contra *l. ſin. vbi Gl. de off. procurat. Cæſaris. l. Labeo. de vſucap.* Variȩ quidem diſſoluēdi huiuſmodi rationes quæruntur ab interpretibus, ſed commodiſſima hæc eſt, quæ ex triplici ſignificatione vocabuli *crediti* ſumitur: aut enim credere latiſſimo ſignificatu dicimur in omni contractu, in quo alienam fidem ſequimur, *l. 1 ſuprà hoc tit.* aut lato ſignificatu credere perhibemur in omni contractu, ex quo ſumus tantundem recepturi in eodem genere, *l. in naue Saufeii. 31. ff. locati.* aut ſtrictè in cōtractu ſolummodò mutui, *l. quia quod. ff. ad Macedon.* Quandò itaque reſpondetur à Iureconſulto in his rebus fungibilibus mutuum ideò contrahi, quoniam earū datione in creditū ire poſſimus, nihil aliud innuitur, quam nos hiſce rebus etiam effici creditores recepturos tantundé in eodem genere; quia verò mutuum eſt ſpecies illius crediti illarum rerum datione mutuum recte contrahitur, neque contra legem, quæ rationem dicto generaliorem eſſe debere aſſerit, peccatur, *l. cum patre. §. dulciſſimis. de legat. 3.* Cæterum in fine huius §. *mutui.* ſubiungit Iurecōſultus hic regulam de inuito creditore, cui aliud pro alio ſolui nō poſſit, quȩ locum habet, niſi ceſſet damnum creditoris, cui vna moneta pro alia ſoluitur, *l. Paulus. 99. de*

99. de ſolut. & ibi Bart. Egidius Boſſius *tit. de monetis, nu. 2. 3. 4. cum ſeqq.* Cephal. *conſ. 31. vol. 1.* Modeſtin. Piſtoris *conſ. 27. vol. 2.* Iaſon. hic *nu. 9.* Tob. Non. *Inſtit. quib. mod. re contrah. obl.*

Tertiò cauſam formalem explicat Iureconſultus hic §. 1. dum oſtēdit, qualiter mutuum cōtrahatur ita ſcilicet ſi eo animo res tradatur, non vt eadem, ſed alia eiuſdem generis, id eſt, non eadem res numero & in indiuiduo, ſed tantundem in ſuo genere recipiatur, tex. eſt hic & in *l. 1. §. 1. de act. & obl.* Nā ex eodē facto non poſſunt oriri diuerſæ ſpecies contractuum, tex. eſt hic in *princ. & l. 2. §. 1. locati.* facit *l. vlt. ff. de condict.* ob cauſam. *l. 1. §. quod ſi rem. ff. depoſ. l. idemque. §. ſi quis Titio. ff. mand.* idque abſque dubio procedit, ſi illi duo contractus inuicem ſint incompatibiles, vt contractus depoſiti, mandati, *l. 1. §. idē Pomp. ff. depoſ.* ſecus ſi ex eodem facto reſultarent duo cōtractus compatibiles; quia poſſunt concurrere, ſicut eſt contractus ſtipulationis qui eſt compatibilis cum alio, qua de re vide plura apud Tiraq. *de retractu gentilitio. §. 30. Gl. 1. n. 39. 41. l. 2. C. de pactis inter empt. & vend. l. Ariſtot. §. 1. ff. de donat.* Sic permutatio erit non mutuum, ſi pro vino triticū recipiatur: cum quidem tritici bonitas vetuſtate non augeatur, ſed potius diminuatur, *l. 1. C. de condit. in publ. horreis. lib. 10.* adeò vt eiuſmodi fructus vltra triennium vix durent,

Accurſ.

Accurſ. in *l. vnica. Cod. ſi aduerſus vſucap.* Quod ſi dicat contrahens do tibi hanc pecuniam, aut tolle illam, quis nam ex iis verbis reſultet contractus non admodum probabiliter dubitant interpretes: etſi enim donatio in dubio non præſumitur, cum nemo ſuum iactare intelligatur, *l. cum aurum. de verb. obl. l. cũ de indebito de probat.* quia tamen de voluntate loquentis & animum liberaliorem declarãtis conſtat, non eſt quòd voluntatis quæſtionem hoc caſu admittamus *l. ille aut ille. §. 1. de legat. 3. l. vxori. §. fin. d. tit. l. fin. in princ. de donat. l. continuus. §. cum ita. de verb. obl.*

Reſtat quarta cauſa finalis ſcilicet & effectus, qui nihil aliud eſt quam dominii trãſlatio, *§. appellata. hoc noſtro tit.* cuius textus occaſione hic traditur, quod à nomine proprio non rectè argumentemur, cum nomina ad libitum imponantur, *l. ad recognoſcendos. C. de ingenuis & manumiſſis. §. ſi quis in nomine. Inſtit. de legatis.* & ad libitũ mutentur, modò illa mutatio in nullius fraudem fiat, vel præiudicium. *l. ſi quis in fundi. de legat.* 1. *l. 1. C. de mutat. nominis.* Nam ſi decipiendi aut iniuria afficiendi gratia eiuſmodi quid factum fuerit crimen falſi committeretur, quod morte ſaltem ciuili puniendum, *l. falſi. ff. ad l. Cornel. de falſis. l. Titio. ad municip.* Honeſta tamen nomina liberis imponenda ſunt, propterea quod ex malo nomine ſæpe ſiniſtra oriatur

ſuſpicio,

ſuſpicio, *Clement. Exiui. §. cæterum. in fine. de verb. ſign.* facit *l. facta. §. ſi ea danda. & ibi Gl. ff. ad Trebell.* imò non deſint qui nemini ſuſpectũ nomen habenti fidendum eſſe aſſerant, Iaſon in *Rubr. Digeſtorum, nu. 16. 17. ſol. matr.* Panorm. ſuper *proœm. Decretalium, num. 7. 8. cum ſeqq.*

A nomine tamen appellatiuo ex Etymologia non vſq; adeò perperàm arguitur, *cap. forus. de verb. ſign. l. pupillus. §. territoriũ. de verb. ſign.* idque ideò, quod nomina appellatiua ſint immutabilia, *d. l. ſi quis in fundi.* qua de re vide plura apud Felinum ſuper *proœmiũ Decretalium, n. 32. 33. cum multis ſeqq.* Coraſ. *lib. 3. Miſcell. cap. 21.* Neque verò prætermittẽdum eſt, quod hic de credito Iurecõſultus ſubiicit, quod mutuo eſſe generalius aſſerit, cum in iis etiam rebus contrahatur, quæ numero, pondere & menſura non conſiſtunt, vt in commodato, depoſito, &c. licet eandẽ rem recepturi nihilominus credere dicimur; deinde creditum eo etiam caſu locum habet, quo promittitur quidem, nõ etiam numeratur pecunia, vt maritus ratione dotis poſt nuptias promiſſę creditor dicitur licet mulier ab eo nihil acceperit, ſed ſolummodò alimentorum prę ſtationem expectet: ex quo apparet promiſſionem dotis non oriri ex cauſa lucratiua, cum aut creditor aut emptor intelligatur qui dotẽ petit, *l. ex promiſſione. 18.*

one.18.in princ.de act.& obl.§.creditum. hac l.noſtra. Neque enim donatio dicitur, ſi vxor viro dotem promiſerit, cum pro onerib. matrimonii dos petatur, *l.ſi quis.21.§.ſi vxor.de donat.inter vir.& vxor.* vnde etiam dos apud eum eſſe debet, qui ſuſtinet onera matrimonii, *l.actione.65.in fine.ff.pro ſocio.l.inſulam.§.vſuras.l.ab hoſtib.§.ſi vir.ff.ſol.matr.* cum ſimilib. allegatis per Rolandum à Valle *de lucro dotis quæſt.68 num.5.* Quæ res in cauſa eſt, vt dotis promiſſio habeat in ſe tacitam conditioné, ſi nuptiæ ſequantur, Tiraq. *de retractu conuentionali, §.2.Gl.1.& vnica, nu.53.cum ſeqq.* & dos non debetur filiæ, niſi nupſerit, & ſi non nubat, illam non tranſmittit ad hæredes: tantum enim ſub conditione, ſi nubat, dos debetur hoc caſu mulieri, plura autem conditionalia non tranſmittuntur, qua de re vide Menoch. *conſ.81.cauſa hac ſuper qua.nu.4.lib.1.* Cephalus *conſ.22.lib.1.conſ.143.lib.1.*

Ad *leg.cum quid.* III.

IN mutuo cautum præſumitur, vt res ſicut non quidem melior, ita nec reddatur deterior, cum hoc donationem ſapiat, illud vſuram arguat, quorum neutrum preſumitur *l. cum de indebito. de probation. l.rogaſti.§. ſi tibi. hoc tit.noſtro.l.cum meritò.ff.pro ſocio.* Non igitur integrum eſt debitori rem deteriorem creditori reſtituere, adeoq; ſolutionem facere,

cere, ex qua aliquid detrimenti paſſurus ſit creditor *l. Paulus. 99. de ſolut.* quod adeò verũ eſt, vt ſi de facto creditori imprudenti res deterior reſtituta ſit, actione mutui neutiquam liberetur debitor. *l. 3. § ſi reddita ff. cõmod.* cum genus debeatur in mutuo, cuius debitor præſtans rem deterioratam prima actione non liberatur *l. qui ſibi aut Titio. §. 1. de ſolut.* exemplum huius rei Iureconſultus de vino ſubiicit, quod nouum tanquam deterius pro vetere tanquam meliore reddi poſſe negat: quod autem vinum dicatur nouum, quod vetus, vide apud Zaſ. *lib. 2. reſponſ. ſingular. cap.* 14. Coraſ. *lib. 3. Miſcell. cap.* 12.

Huius rei occaſione Doctores hic arguunt; quo quid antiquius, eo dignius & melius, qua de re vide Tiraq. *de retr. gentilitio. §. 30. n. 16. Gl. 1.* Vt enim iuuenes propter calorem iuuenilem ſunt ad malum procliuiores, *can. omnis ætas.* 12. *quæſt.* 1. facit *l. fin. §. filiis autem familias. C. de bon. quæ liberis. can.* 1. 12. *quæſt.* 1. Ita moribus Hebræorum, à quibus ad omnes populos iuſtitia, pietas & Reip. benè conſtituendæ ratio promanauit, ſenes plerunque prælati, & ex iis Senatus cõſtitutus eſt, *Deuteron.* 1. Vel quod multi ſuo etiam malo didicerunt, *§. ordinatione. Auth. de monachis. cap. ſi tibi periculum. in princ. & cap. quam ſit. de elect. in 6. cap. occupantes. eod. tit. cap. ſtatutum. de reſcriptis. in 6. Auth. de appellat. poſt princ.* Næuizanus in *ſylua nupt.*

ua nupt.lib.3.n.7.Syracidæ 34. Vel quod nõ primis labiis res humanas guſtauerint, ſed eas ſurſum ac deorſum volutatas penitius ac quaſi in ſpeculo contemplati ſint, *l.ſi vt certum.§.cuſtodiam.& ibi Gl.in verb.commendatus. ff.commod.cap.cum pridem.de renunciationib.cap. cum in iuuentute.& ibi Gl.ad verb.ſenilem.de præſumpt.* latè Maſcard.*de probat.vol.3.concl.1295.* Quid quod etiam publicis ac priuatis ærumnis edocti de euentu conſiliorum dexteriùs iudicent: creſcunt enim cum ætate calamitates etiam potentibus & felicibus hominibus; vnde non temerè dixit antiquitas: Time ſenectam, quia non venit ſola.

Deinde quia non ita rapiuntur ſuis affectibus, ſed maturo conſilio res adminiſtrãt, *d.l.fin.§.filii autem familias.C.de bon.quæ liber.d. can.1.12.quæſt.1.*

Denique cum morti vicini ſint quod ſæpius cogitent aut ſaltem cogitare debeant, nihil contra officium, nihil cõtra iuſtitiam tentandum, multò minus peragendum eſſe: conſideratio quippe mortis aut inſtantis, aut vicinioris flectit eos ad affectus trãquilliores, vt opes, honores, voluptates, obtrectationes, vindictæ cupiditatem & reliquas ſeculi fatuitates facilius poſſint contemnere, argumento *l.præſens.57.§.homini etenim.C. de Epiſc.& Cler.l.ſi quis filio.§.ſi autem.de iniuſto, rupto,&c.l.Senatus.35.§.mortis cauſa.ff.de mortis*

cauſa

cauſa donat. Et quod ſenex magis præſumatur memor ſalutis æternę, quam iuuenis, multis oſtendit, Decianus *conſ. 8. ſtantibus iis. nu. 14. vol. 2.* Et hoc eſt, quod dici ſolet: Mortis memoriam multa bona operari, mundi contẽptum, peccati euitationem, &c. Burſatus *cõſil. 226. n. 32. vol. 1.* vbi allegat dictum ſapiẽtis: *Memorate nouiſſima, &c.*

Hinc de Doctoribus quæritur, vtri ſcilicet præferendi ſint, ſeniores iunioribus licet perſpicacioribus, Gl. in *l. Gallus. verb. tanto. de lib. & poſth.* an è contra? Quæ res ſic accipienda eſt, Doctor creatus cum examine rigoroſo dignior eſt illo, qui vel nullo, vel leui examine præcedente fuit creatus, Menoch. *conſ. 126. nobilis certè. nu. 7. lib. 2.* Deinde publicis officiis præfectus præfertur priuatim viuenti, cum vita actiua ſit dignior vita contemplatiua, Felinus in *Rubr. de maioritate & obedientia, n. 7. parte 2.* qua in re non poſtrema laborum exhauſtorum eſt conſideratio, cum is, qui largiori tempore laboribus aſſiduis ſtipendia meruit, in dubio præponendus ſit, *l. prouidendum. C. de poſtul. l. 2. Cod. de off. magiſtri officior. canon. miramur. circa finem. 61. diſtinct. l. 1. & 2. C. de off. præfecti prætor. l. vnica. C. de comitib. & arch. ſacri palatii. l. vnicuique. in initio. C. de proximis ſacrorum ſcrinior. lib. 12.* cum aliis quæ allegat Caſſanæus *de catalogo gloriæ mundi parte 11. conſideratione 17. fol. 200.* Non

itaque dubium eſt, quin præponderent illi, qui & ingeniis excellunt, neque labori parcunt, quorum calamus nunquam quieuit, quique ad diſpendium ſuæ valetudinis laborioſi ſunt, Zaſ. in *l. quicquid aſtringendæ. 99. nu. 7. de verb. obl.* Tertiò. Doctor legens præfertur antiquiori, Ioh. de Platea in *l. 2. C. vt dignitat. ordo ſeruetur.* Dec. hic. *n. 19.* & inter legentes qui diutius legerit & maiora ſtipēdia meruerit, præferendus eſt, Abbas in *cap. Clerici. de iudic.* per *l. nemo. C. de off. diuerſ. iud.* & Doctoribus duobus vna hora legentibus is præferendus eſt, qui legit vtilius, Bald. in *l. 1. nu. 135. ſol. matr.* cum quidem tales eligi debeant, qui vtiliter & non ad pompam legunt *l. 1. C. de ſtudiis liberalib. vrb. Romæ.* & notat Martin. Laudenſis in *tract. de principib. quæſt. 327.* Vnde Doctoribus legentibus & multos inſtruentibus ad iuſtitiam magis quam aduocatis fauendum eſſe, tradit Cagnol. in *l. diem functo. n. 132. de off. aſſeſſ.* Ratio huius fauoris, quo docentes iura proſequuntur, eſt vel difficultas lāboris, docere enim eſt ſummum & difficilimum opus, ad quod non ſolum eruditio, ſed etiam quædam ingenii dexteritas, facundia & exercitatio requiritur, teſte Frāciſco Balduino in *præfat. ad Hoſpitalium de coniunctione hiſtoriæ & iuriſprudentiæ.* vel vtilitas, quæ tanta eſt, vt communicatione veræ & neceſſariæ doctrinæ nullum maius bonum ſit,

ſit, *Syracid.* 20. Et ne quærantur emendicata Doctorum ſuffragia ipſe Christus in Euangelio *Luc.* 10. præferens Mariam Marthæ oſtendit docendi & diſcendi labores præſtare negociis & occupationibus vitæ corporalis. Hinc noſtræ leges honeſtiſſimas profeſſoribus appellationes attribuunt, de quibus videatur Cagnol. in *§. itaque. n.* 156. *in proœm. Digeſtor.* vbi etiam *n.* 163. 164. hac digniſſima erogatione nihil perdi aſſerit. Imò differentiæ communicationem alimentorum ſubminiſtrationi æquiparandam, eoſque, qui ſe faciles diſcentibus præbent omni fauore dignos eſſe aſſerit in *l.* 2. *§. iuris ciuilis ſcientiã. n.* 457. *de orig. iuris.* Hoc eſt, quod mortui ante finem anni integrum ſalarium ad hæredes ſuos tranſmittunt, per multa, quæ allegat idem Cagnol. in *d. l. diem functo. nu.* 183. *de off. aſſeſſ.* & quod ante finem anni propter peſtem graſſantem recedentib. cum per ipſos non ſtet, quin officiũ faciant, ſolutio ſtipendii temporis reſidui non denegetur, argumento *d. l. diem functo.* & quod de licentia ſuperioris vel labores differẽtibus vel loco ad tempus abeuntibus, pro tempore abſentiæ ſalarium nihilominus debeatur, Iaſon in *d. l. diẽ functo.* quod ſuperioris licentia eos quaſi præſentes cõſtituat, *l. hac lege. C. de prox. ſacr. ſcrinior. lib.* 12. Reliquas quæſtiones ab interpretibus hic cumulatas de Doctoribus anti-

quioribus iis etiam, qui primo fuerunt Licentiati, item ad collegium reſtituti, itẽ de Doctoribus diuerſarum facultatum ſponte prætereo, quod videam eas partim eſſe friuolas partim ridiculas, quas ſecularis literatorum, & in his etiam Eccleſiaſticorum ambitio interpretibus extorſit. Sciendum itaque ſicuti ſucceſſus in laboribus vocationis ſingulare & eximium Dei donum eſt, *l. in nomine Domini. Cod. de off. præf. prætor. Africæ. 1. Samuelis* 8. *Geneſ.* 39. 4. *Reg.* 18. 2. *Paralipomen.* 26. *Act.* 27. Vt & è contra ſumma miſeria hominis eſt frangi inani contentione, quæ nec ipſi, nec aliis prodeſt, *Eſaiæ* 49. 59. id quod nõ rarò probis etiam hominibus nocturnos diurnoſque labores exantlantibus nihilominus tamen nihil aut parum feliciter proficiẽtibus accidit, cuius rei exemplum refert Decian. *conſ.* 42. *quia per ſupra ſcriptos. n.* 14. *vol.* 2. De Druſiano antiquo medico, qui adeò excellentis fuit doctrinæ vt plus, quam cõmentatoris nomen obtinuerit, ſed tamen ipſius cura, labore & ſtudio nullus ægrotantium ſanatus, ſed omnes ſint mortui, facit *l. ſingularia infrà hoc tit.* vbi Paulus fatetur contra ipſius opinionem iudicatum fuiſſe, *l.* 2. §. *poſt hos quoque. de orig. iuris.* Syracides *cap.* 11. Cogitandum iis eſt poſſe Deum id infelicitatis alia ratione compenſare, & aduerſam fortunam plus aliquãdò prodeſſe, quã proſperam,

ſperam, Næuizan. in *ſylua nupt. lib. 4. n.* 10. Ita etiam ſingulare Dei donum eſt autoritas, quæ vix eſt, vt humana induſtria comparari poſſit, quæ quidem tribus potiſſimum conſtat adminiculis. I. Eximia virtute & ſapientia, cuius nullum maius poteſt eſſe præmium honore ipſo, quem vtilitate ac quæſtu metiri velle contra decus eſt, cum virtus nullum habeat hoſtem capitaliorem quæſtuoſa vtilitate, *l. vnica. C. de quæſt. & mag. offic. lib.* 12. faciunt ea, quæ tradit Bodin *de Rep. lib. 4. cap. 4. mihi fol.* 431. Sed quia caduca eſt hominum virtus, & ad quamlibet auram nutat, leuiſſimoq; impulſu ruit, niſi manu Domini ſuſtineatur, teſte Leone Imperatore in *Nouella* 41. neceſſe eſt ſecundum accedere, nempe felicitatem in rebus agendis. Ex qua tertiũ enaſcitur, nempè inclinatio animorũ in populo facta diuinitus: de illis poſtremis duobus requiſitis comparandæ autoritatis loquuntur ſequentia iuris diuini teſtimonia, *Exodi* 11. Fuit Moyſes vir magnus valdè in terra Ægypti coram ſeruis Pharaonis & omni populo. 2. *Samuel.* 7. Feci tibi nomen celebre, cuiuſmodi eſt magnorum in terra. 1. *Maccabæor.* 5. Iudas & fratres erant in magna exiſtimatione apud totum Iſraelem & apud omnes gentes, & nomen ipſorum vbique celebrabatur.

Circundat itaque pios autoritate Domi-

nus,eaque abutẽtes exuit. *Ierem*.49.ibi: Imminui exiſtimationem tuam inter gẽtes, & reddidi te contemptum inter homines, inſolẽtia & ſuperbia cordis tui decepit te. *Daniel*.5. ibi: quandò eleuatum eſt cor eius & ſpiritus illius obfirmatus ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria eius ablata eſt,&c. faciunt ea quæ tradit Crauetta *conſ*.121.*ſcripſi aliàs.n*.12.

Eſt enim fundamentum verę virtutis humilitas, nec tanta claritas vlla eſt, quam elatio nõ obſcuret,ſcit ille,qui clariſſimus creatus eſt, ſeque ipſum efferens non obſcurus tantum, ſed & princeps meruit fieri tenebrarum. ita Franciſc. Petrarcha *de remediis vtriuſque fortunæ dialogo* 10. *de virtute*, *mihi fol.* 41.Eſt & caſtitas præcipuus autoritatis neruus, quippe quæ mereatur maiorem lucem ſpiritus ſancti accendentis illuſtriorem Dei notitiam, regentis conſilia & labores vocationis,vt ſint felices nobis ac aliis ſalutares, *Matth*.5.Beati mundi corde,quoniam Deũ videbunt.*Hebr*.12. Sequimini caſtitatem,ſine qua nemo videbit Deum.1.*Corinth*.6.vbi de caſtis dicitur, quod eorum corda ſint tẽplum ſpiritus ſancti; cum quidem flamma libidinum animos hominum alienet, & libidinoſi errent in conſiliis, ſtudiis & actionibus, veluti cæci & amentes, & à Deo maledicti & abiecti ruant in æternum exitium

ſuum

ſuum & aliorum, *Roman. 1.* ibi: quia dediderunt ſe turpibus & abominãdis libidinibus, tradidit eos Deus in reprobum ſenſum &c. Etſi autem nõ deſint, qui huius ſceleris magnitudinem extenuant, vt Canoniſtæ præceptore pontifice Alexandro. III. videntur ipſum etiam adulterium in numero leuiorum & minorum criminum ponere, *cap. at ſi Clerici.* §. 1. *extra de iudic.* quod tale non eſſet, vt Clericus eius conuictus ſacris ordinibus remoueretur, *cap. cum non ab homine. d. tit.* Panorm. in *d. cap. at ſi Clerici. in princip. num.* 38. Quippè quod grauibus demum & atrocib. flagitiis hæc exãtorationis pœna debeatur, *cap. tua. de pœnis.* Nullum tamen flagitiũ, ſecundum hæreſin, deteſtabilius, Deo magis exoſum, nec grauiori dignum ſupplicio, *can. quid in omnibus. 32. quæſt. 7.* cum corpora noſtra ſint membra Ieſu Chriſti, neq; membra meretricis fieri, vel vlla ſcortatione aut fœda cupiditate cõtaminari, ſed potius ſanctè, caſtè & pudicè haberi debeãt, & ea propter adulteros ſumma ſemper ſeueritate, Deo pœnas exigẽte, punitos fuiſſe legimus, *can. Reos. 23. quæſt. 5. 1. Corinth. 6. l. caſtitati. C. de adulter. l. quamuis, La. 2. Cod. d. tit. l. tranſigere, C. de tranſact.* Eſt & conſtantia in ſeruandis pactis & promiſſis ſatis idoneum ad comparãdam autoritatem adminiculum, quippè quam tanti faciunt honeſtiores, vt etiam infideli-

 bus,

bus, vt etiam fœdifragis, vt etiam latronib. ſeruandam eſſe exiſtiment datam fidé, præſertim iuratam, ne Dei præpotentis, quem fœderis teſtem appellauimus, iracundiam & furorem ciere videamur, qua de re videatur Bodin. *de Rep. lib. 5. cap. 6. mihi fol.* 598. Iaſ. in *apologia contra Eccium tom. 5. ipſius operũ.* Felin. in *cap. peruenit. n. 5. de iureiur.* Hippolyt. de Marſil. *ſingulari* 42. Eſt enim fidem fallere viris grauibus graue, grauioribus grauius, & viris exemplaribus grauiſſimum, Rolandus à Valle *conſ. 1. n. 34. vol. 2.* vnde fidem non ſeruans efficitur infamis, & punitur extraordinariè, Crauetta *conſ. 192. caſus ita habet. n. 16.* & adeo inconſtantiâ leuetur autoritas, teſtatur Cicero *lib. 4. Academ. quæſtion. fol.* 18. facit *l. in cauſa. in princ. de procurat. l. 1. C. de furtis. l. qui falsò vel variè. 16 ff. de teſtib.* Quo ipſo vt datæ fidei pactorumque veritas rectè aſtruitur: ita non indiſtinctè approbatur, quaſi perpetua in vna eademque ſententia permanſio, quæ ſapientibus nunquam laudata eſt, idẽ Cic. *lib. 16. epiſt. ad Attic. fol.* 289. cum nouum non ſit, mutari ſententiam, & nouas in intellectu opiniones generari manifeſtũ ſit, Bald. in *l. 1. C. de his qui ante apertas tab.* Iaſon in *l. quod ſi filius, de captiu. & poſtlim. reuerſ.* ſed cõmendatur hîc aurea quædam mediocritas, quæ inter leuitatem & pertinaciam mediũ tuetur, Bodin. in *methodo hiſtorica cap. 5. mihi*

fol.

*fol.*123. Id quod etiã eſt videre in iudicibus, quibus nouum non eſt, à priori ſententia, præſertim penitius comperta veritate, recedere, vt & noſtris Iuriſconſultis, *l. fin. de condict. ſine cauſa. l. Iulianus verum debitorem. de condict. indeb. l. ita ſtipulatus, §. Sabinus. de verb. obl. l. fin. C. de furtis.* & alibi ſæpè, quod tantum abeſt, vt reprehenſionem mereatur, vt ſi aliter facerent, reprehendi mererentur, Decian. *conſ.*24. *Non ergò poteſt dubitari. n. final. volum.*3. Denique ſtudium veritatis & odium ſophiſtices ac mendaciorũ, cum maximum hominis probrum mendaciũ, *Syracid.*20. quippè, quòd ei infamiam conciliet, adeò vt nũquam honore affici poſſit. Quæ in tantum vera ſunt, vt etiam officioſa mendacia excuſationem non admittant, quòd precioſa ſit Deo veritas, & rectum eſſe non poſſit, quòd Dei naturæ eſt contrarium, *can. nec artificioſo, can. ſi quis per fœdus. can. quod autem. can. ne quis arbitretur.* 22. *quæſt.* 2. *cap. ſuper eo. de vſuris.* Didac. *lib.* 1. *variar. reſolut. cap.* 1. *n.* 1. Hiſce omnibus rectè adduntur merita in Remp. quæ tanti ponderis & momenti ſunt, vt natus ex familia benè merita præferatur nato ex altera minus benè merita familia, *l. prouidendum. in princ. ibi: aut meritum nobiliſſimos fecerit, aut vetuſtas. C. de poſtul. l.* 1. *&* 2. *C. de off. præfecti prætor. l.* 2. *C. de comitib. & Archiat. lib.* 12. *l. vnicuique, C. de proximis ſacror. ſcrinior.* & qui ob

virtutes proprias & benè merita priuilegiũ conſequitur præferri debet ei, qui idẽ ex ſola principis liberalitate conſequitur, *l. pronunciatio. §. matresfam. de verb. ſign.* per quem text. hoc dicit Bald. in *cap. penul. in fine. de probat.* facit *l. 3. §. hi quoque. ff. ad Syllan.* latè Tiraq. ad *l. ſi vnquam. verb. donatione largitus, n.* 48. 85. *C. de donat.* Minuuntur etiam pœnæ propter benè merita delinquentis & maiorum eius, Tiraq. *de pœnis, cauſa* 49. & de modo probãdi benè merita videatur Maſcardus *de probat. vol. 1. concluſ.* 184. *cum multis ſeqq.* Neque verò prætermittendũ eſt, quod hic ab interpretibus fuſiſſimè traditur, parem eſſe vim atq; naturam taciti & expreſſi; qua in re etſi ad manum ſit ingens rerum ſylua, quæ ampliſſimum argumentum præbeat, temperabo tamen ſtylum, vt indices potius habeat auditor, quam longos & prolixos commentarios. Ante omnia autem ſciendum tacitum dici, quod ſolum colligitur per rationẽ intellectus, *l. iam hoc iure. de vulg. & pupil. l. non recte. 13. C. de fideiuſſ.* Vnde Bald. in *Auth. niſi rogati. col. 2. ad Trebell.* dicit, quòd tacitum conſiſtat in interpretatione iuris, expreſſum non item.

Expreſſum dicitur tripliciter. I, Generaliter, vt quando quid in genere exprimitur, *l. prætor. §. 1. de noui operis nunciat. l. qui vſumfruct. de verb. oblig.* in illis verbis: Specialiter expreſ-

expreſſerit, quibus ſatis oſtenditur etiã generaliter aliquid exprimi: fruſtrà enim alias ea dictio, *ſpecialiter*, adiiceretur, facit *l. 2. §. 1. de doli mali except. l. in fundo. de ſupell. leg. l. ſi quis argentum. ibi; generaliter vel ſpecialiter, C. de donat.* Quod etiam hac ratione confirmatur: tantum operari diſpoſitionem generalem, quo ad omnia cõprehenſa ſub genere, quãtum ſpecialem ad comprehenſa ſub ſpecie, *l. ſi duo. in fine. & ibi Bart. de adminiſtrat. tutor. l. ſi chorus. de legat. 3. l. ſi omnes. C. de præſcr. 30. vel 40. annor.* De hoc primo expreſſi genere vide Tiraq. *de ll. connubialib. verb. Expreſſi, Gl. 7. num. 92. 93. &c.* vbi hoc expreſſum viginti modis limitatur.

II. Specialiter, vt quandò quid in ſpecie exprimitur, *l. 1. §. inter filium. ff. ad l. Cornel. de falſis.* Circa quam ſecundam expreſſi ſpeciẽ ſciendum eſt, vbi aliquid debet fieri ſpecialiter, quod tum non ſufficiat fieri verbis generalibus, Gl. in *l. 1. verb. Specialiter. ff. ſi quis in ius vocatus.* Sic in *Clem. appellãti. de appellat.* pro forma requiritur expreſſio grauaminũ ſententiæ interlocutoriæ, & non ſufficit eã fieri per relationem ad acta, aut aliud quippiam, vt expreſsè voluit Ang. in *l. 1. & ibi, Franciſc. Aretinus. de lib. & poſthum.* Sunt enim ſpecialiter expreſſa efficaciora, & minorem habent dubitationem, vnde vtilius capitula contractus ſpecificare, quam ſub generali clauſula con-

concludere, *l. ſtipulationes commodiſſimum, & ibi Iaſ. n. 1. de verb. obl.* & quòd in ſpecie dicitur magis eſt reuerentiæ & timori, ruſticis præſertim, quam illud, quod dicitur in genere, *cap. ſi aduerſis. 11. de hæret. cap. 1. & ibi Matth. de Afflict. n. 14. de noua forma fidelit.*

III. Singulariter, vt quandò quid in indiuiduo & proprio nomine exprimitur, *l. quod in rerum natura. §. ſin autem. de legat.* 1. quòd genus expreſſi per ſe planum eſt, cum nemo dubitet ea expreſſa cenſeri & eſſe, quæ ſingulari ac proprio, peculiarique nomine, ſine vlla verborum ambage dicuntur. Plura ſcituri videant Tiraq. ſuprà allegato in loco *nu. 152. cum multis ſeqq.* vbi de decem expreſſi generibus diſſerit. Hiſce ita præmiſſis totã hanc rem tribus definio concluſionibus.

I. Taciti atque actualis expreſſionis candẽ eſſe efficaciam, adeò vt expreſſio eorũ, quæ tacitè inſunt, nihil operetur, *l. 3. de legat. 1. l. non rectè. 3. in fine, C. de fideiuſſ.* cum tacita expreſſio ſufficiat, & pro expreſſa habenda videatur, *l. conditiones extrinſecus. 98. de condit. & demonſtrat.* qua de re latè Decian. *conſ. 41. pro fundamento. n. 51. 52. 53. vol. 2.* Hæc tamen cõcluſio non indiſtinctè obtinet. Quid enim ſi omittatur aliquid de ſubſtantia vel de forma? Eo certè caſu tacitum pro expreſſo nõ habebitur, ſiue agatur de ll. ſiue de vlt. volũtatibus, ſiue de contractibus, *l. non dubium. 5.*

C.de ll.l.cũ lex.47.vbi Bart. de fideiuſſ.l.iubemus.29.l.hac conſultiſſima.21. C. de teſtam. l. quicquid aſtringendæ.99.de verb. oblig. Quid ſi propter nimiam incertitudinem aliquid omittatur? *d.l.quicquid.l.duo ſunt Titii.30.de teſtamen. tutel.* Quid ſi agatur ex vna parte tantum, vt tacitum habeatur pro expreſſo? *l.ſi repetendi.7.C. de condict.ob cauſam:* hoc eſt quod dixit Bald. in *l.iuriſgentium.§.pactorum.ſup.de pactis.* voluntatem in mente retentã non accommodari actui hominum, ſed cenſeri abortiuam, & ideò tanquam exiſtẽs in vtero, niſi in lucem prodeat, nullum poſſe producere effectum, *l.vlt.C.de poſthum.hæredib.inſtit.* idem Bald. in *l.1.verſ.circa ſecundum capitu.C.qui admitti.* Circa hanc primam concluſionem notandum, non ſemper conſultum eſſe, vt in contractibus exprimantur ea, quę contrahentibus vtrinque placuerunt, cum non rarò fiat, vt quædam nominatim expreſſa noceãt, quæ, ſi verbis tegantur, momentum aliquod ſint habitura, *l.nonnunquam.51.de condit. & demonſtrat.* & aliud iuris ſit, ſi quid tacitè continetur, aliud ſi verbis exprimatur, *l.ſi ita legatum.68.§.1.de legat.1.* Vnde expreſſa nocent, non expreſſa non nocent, *l.expreſſa.de R.I.* ſic in teſtamento inutile legatum dicitur, ſi hæres voluerit, *l.Senatus.45.§.legatum.de legat.1.*

Deinde expreſſum interdum eſt tacito potentius, ſic ſubſtitutio pupillaris expreſ-

ſa ma-

ſa matrē excludit, *l. Papinianus.8.§.ſed nec impuberis.ff.de inoff.teſtam.cap.ſi pater. de teſtam. in 6.* tacita non item; quanquam Corraſ. in *l. precibus,n.43.cum ſeqq.* huius concluſionis veritatem videatur vocare in dubium. Sic expreſſus error iuris annullat ſententiam, tacitus non item, *l.1.ff.quæ ſententiæ ſine appell.* Iaſon in *l.cum prolatis.* & in *l.præſes.de re iudic.* Sic expreſſus conſenſus potentior eſt, quam tacitus, *l.ſi ex plurib. de ſuis & legit. l. pen. de inuſto teſtam.* adeò, vt voluntas expreſſa ſit magis priuilegiata, præferaturque tacitæ, præſumptæque voluntati, *l.2.§.vlt.de bonor.poſſ.ſecundum tab.* quæ quidem nunquam extenditur vltra actum, in quo interuenit, cum expreſſus extendatur, Gl. notabilis in *Clement.ſæpè.verb.partibus.ad fin.de verb.ſig.* Tiraq. in *ll.connubialib.Gl.7.in verb.expreſſ.n.49.cum ſeqq.* vbi multa huius rei exempla recitat.

Tertiò tacitum nonnunquam potentius expreſſo, ſic Prælati Eccleſiarum Eccleſiis expreſſa donatione non præiudicant, *cap.2. extra de donat.* tacitæ tamen nocent, in quo expreſſæ nocere non poterant, *l. aduerſus. & ibi Dd.de vſuris.* Eiuſmodi quid eſt, quod traditur in his, quæ poſſunt offendere, tacita minus offendunt, quam expreſſa, Iaſon hîc *nu.21.* Sic miles non poteſt eſſe procurator in iudiciis; cum magis eum arma, quam iura nouiſſe deceat, *l.milites.31.l.milites.35.C.locati.*

Vnde

Vnde ſi inter me & illum expreſſo pacto cõueniretur, ne contra eum, quippè procuratorem conſtitutum exciperem, irrita eſſet & nullius momenti talis conuentio, ſed tacitè iſta dilatoria exceptio remittitur, *l. filiusfam. §. veterani. & ibi Dd. de procurat.* Iaſon hîc *nu.* 23.

Non multum alienum à propoſito eſt, quod de triplici rationis ſpecie; expreſſa, tacita & præſumpta traditur. Expreſſa illa dicitur, quæ verbis exprimitur, *l. 1. de iis quæ in teſtam. del.* Tacita, quæ à lege ſubintelligitur, & pro expreſſa habetur, Gl. & Dd. in *l. quamuis. C. de fideicom. in. l. his ſolis. ibi: Tacite cautum putamus. C. de reuoc. donat. §. 1. Inſtitut. qui teſtam. tutor. dari poſſ. cap. 1. de iuram. calumniæ. in 6.* Præſumpta ratio eſt, quæ ex coniecturis, ſignis, indiciis & præſumptionibus à lege vel à iudice elicitur. Abb. in *cap. quandò. de præſumpt.*

Ad *l. Si quis nec cauſam. IV.*

INtroducuntur in h. l. duo idonei & honeſti patresfamiliàs, quorum alter; quia ſatis locuples, cauſam nullam; & quia bonæ fuit conſcientiæ, neque propoſitum fœnerandi habuit: alter; quia frugalior, honeſtis contractibus rem familiarem augere, neque tamen pecuniam mutuo accipiendo, æs alienum prius contrahere voluit, quam prædiũ emeret, apud quem creditor, peregrè abiturus,

rus,pecuniam mutuo petitam, hac lege depoſuit, vt ſibi non niſi poſt prædii emptionem,nomine crediti obligatus eſſet. Quæritur,cuius periculo illa pecunia depoſita amiſſa ſit? Etſi autem in depoſito dolum ſolummodò præſtamus,cum nulla verſetur vtilitas eius,apud quem deponitur, *l.ſi vt certo.5.§.nunc videndum.ff.commod.* quia tamen depoſitum,de quo hic agitur, nõ eſt prima, principalis & plenior cauſa contractus, ſed petitio mutui,& commodum recipiẽtis accedit,ad eum periculum ſpectare hoc in loco traditur. Eſt enim hoc caſu conſiderandus animus & intentio contrahentium, *l.1. §.quod ſi rem. & §.idem Pompon.ff.depoſ.* cum multis aliis,quæ allegat Tiraq.*de retract.gentilitio,§.30.Gl.1.nu.4.* nec verba ſolummodò inſpicienda, quæ ſemper menti ac voluntati deſeruiunt,*cap.intelligentia.6.de verb.ſig.can. humanæ aures. 22.quæſt. 5.cap.ſedulò.38.diſtinct.* quod non tantum in contractibus obtinet, in quibus mens prædominatur,*l.ſi in venditione.7.ff.commun.prædior.l.ita ſtipulatus.115.§.itẽ ſi quis ita.de verb.obl.* verùm etiam & quidem multò magis in vltimis teſtatorum voluntatibus,quibus mens teſtatoris tanquam regina quædam præſidet, *l. in conditionib. 19.ff. de condit.& demonſtr.* Cæterùm dubitatur,de quo periculo verba Iuriſconſulti intelligi debeant, cum multis modis illud poſſit contin-

tingere; qua in re interpretes variant, opinante Iohanne fortuitum etiam caſum ad accipientem ſpectare, *l.rogaſti.11.in ſecundo reſponſo.verb.ſine culpa inf.hoc tit.* à qua opinione vtpotè ſatis dura receſſit Azo, motus autoritate textus in *l.1.§.ſæpè.ff.depoſ.* vbi quis de periculo depoſiti tenetur, & tamen pro caſu fortuito non obligatur, *l.quæ fortuitis.5.C.de pignorat. act.* vbi quæ fortuitis caſibus cõtingunt, vt eſt aggreſſura latronum, non præſtantur in bonæ fidei iudiciis, facit *l.pignus.8.C.d.tit.* | Etſi autem contra eum (Azonem) Decius hic *n.5.* diſputat; tamen Azonis ſententiam ſequitur Iaſon hic *nu.13.14.15.* quæ etiam ex eo confirmatur, quod inter periculum & caſum fortuitum expreſsè diſtinguere videtur Iuriſconſultus in *l.litis.37.de negociis geſtis.* ibi: *periculum eorum nominum, quæ ipſe contraxit, præſtare cogitur, niſi fortuitis caſibus debitores ita fortunas ſuas amiſerunt, vt tempore litis ex ea actione conteſtatæ ſoluendo non eſſent.* Qua de re vide plura apud Iohannem Igneum in *l.contractus.23.n.14.15.cum ſeqq.de R.I.*

Ad §.*Res pignori data.*

Pignoris obligatio, ſecuta ſolutione, extinguitur, textus eſt hic, & in *l. in rem.9.§.omnis.de pignor.tit.act.* Quòd ſi creditor, ſoluta pecunia, reclamante debitore, nihilominus pignus retinet, furtum committit, *l.ſi*

H *quis*

*quis vxori.53.§.eum creditorem.ff.de furtis.*facit *l.Pompon.44.§.fin. de acquir.rer. domin.* quos condici poſſe,hic traditur, non ſecus atque à colono, qui ad quinquennium conduxerat fundum,eoque finito, nihilominus fructus perceperat, niſi bona domini voluntate eos,finito conductionis tempore, percepiſſet, id,quod præſumitur, ſi dominus finē quinquennii ſciuit, & colonum in re cōducta diutius commorari paſſus eſt, *l. item quæritur.14. §.qui impleto. l. qui ad certum tempus.5. ff.locati.l.legem.16. C.d.tit.*Qua de re vide prolixè Maſcard.*de probat.vol.2.concl.992.n.1.2.3.cum ſeqq.* Menoch.*de præſumpt.lib.3.cap.86.* Quæ quidē præſumptio probabilis admodum eſt,vel quòd conductor non poſſit alia ratione licitè illum fundum diutius retinere, ſed occupando contra domini voluntatem diutius retinendo delinqueret, quod præſumendum non eſt, *l.meritò.51.pro ſocio.* vel quòd vterque tàm locator, quàm cōductor retinuiſſe præſumatur eam voluntatē, quam pro locationis tempore habuerunt, Alciat.in *tract.de præſumpt.reg.3.præſump.13.n.2.verſ.ſed prior.* quod etiā in Aduocatis, Medicis & ſimilibus obtinet, Corneus *conſ.348. lib.1.* Eodem modo res ſe habet circa ea, quæ vi fluminum importantur aliò; nam & ea rectè condicuntur, textus eſt hic & *l. non amplius.9.§.lis autem.& §. ita demum.de damno in-*

fecto

fecto. Vnde ligna & trabes, quæ per inundationem comportantur in fundum alterius, ei non acquiruntur, ſed domini remanent, *§. prætereà, Inſt. de rer. diuiſ. l. falſis. 40. §. qui alienum. ff. de furtis*. Etſi enim flumina & aquę cēſitorum vim obtinent, *l. ergo. 30. §. alluuio. de acquir. rer. dom.* vt ex priuato in publicum, & ex publico in priuatum adiiciant, Gl. in §. *quòd ſi naturali. verb. incipit. Inſt. de rer. diuiſ.* vbi dicitur, quòd aquæ & flumina teneant vim iudicis, dominia dent, & auferant: tamē hoc verum eſt de iis, quæ per alluuionem agro alterius ita adiiciuntur, vt ſtatim cum agro coaleſcant, *l. 2. & toto tit. C. de alluu.* Maſcard. *de probat. concl.* 81. *vol.* 1.

Ad *l. Quod te. V.*

AB omnibus ratione frequentiæ commendatur hæc lex, quæ ideò fuſiſſimè ab interpp. explicatur, & in ſumma duo dicit. I. Effectum moræ deſcribit. II. Deinde modum, quo mora committatur, exprimit. Facti ſpecies hac l. comprehenſa ſic ſe habet: Equum ex vltima voluntate parentis tui mihi legatum tradere debueras, in cuius traditione cum morā necteres, equus periit: quæritur, ad quem ſpectet periculum interitus? Etſi autem per interitum ſpeciei liberatus videri poteras, *l. ſi ex legati cauſa. 23. de verb. obl.* & exinde detrimentum, vel incom-

modum ad alium potius, quam ad te deuolui: mora tamen, quam commiſiſti, in tantũ tibi præiudicat, vt odio tui, quippè moroſi debitoris, equus viuere cenſeatur, adeoque de interitu tenearis, niſi te iuſta excuſet cauſa, puta præſtationis difficultas, aut impoſſibilitas, textus eſt hic, & *l. ſi ſeruum.* 91. *§. fin. de verb. obl. l. ſi in Aſia.* 12. *§. fin. ff. depoſ.* Quia itaque huius rei occaſione materiam *moræ* examinãt interpretes, eam perſtringemus, ita quidem vt primò explicetur quid ea ſit, eiuſque effectus: deinde quomodo naſcatur: denique quomodo purgetur.

De primo.

MOra, cuius definitionem difficilem eſſe ſcripſit Iuriſconſultus in *l. mora.* 32. *de vſuris.* definitur à Ludouico Charonda *lib. 3.* πιθανῶν, *cap.* 10. eſſe iniuſta dandi faciendique, quòd dari fierique oportet, dilatio, *l. mora.* 32. *l. ſciendum.* 21. *l. ſi quis ſolutioni.* 24. *de vſuris.* Iniuſtam dico, ſi non quidem iudiciũ paratus ſit accipere debitor, quo caſu moram feciſſe non videtur, modò iuſtè ad iudicia prouocet, *d. l. ſi quis ſolutioni.* ſed ſi vel ſolutionem detrectat, vel dolo affectat, quo minus eam præſtare poſſit, textus eſt hic, & *l. mulier.* 22. *§. ſed. n. ff. ad Trebell.* cum perinde ſit, rem habere, aut dolo deſiiſſe poſſidere, *l. parem.* 192. *de R. I.* Sicuti etiam paria ſunt, ſcire &

re & ſcire debere, tex. eſt hic, & in *l. ſi duo. 38. de acquir. hæredit.* & paria, ſcire, & de facili ſcire poſſe, *l. ſi Titius. 49. in princ. de fideiuſſor. l. Iulianus. 31. ad Macedon. l. quiſquis. 15. Cod. de reſcind. vendit.* Et pro ſciente habetur, qui non vult ſcire, *l. ſi quis domum. 9. §. vlt. locati.* vide Tiraq. *de retractu gentilit.* §. 12. *Gl. 1. nu. 9.* Ex quo conſequenter concluditur, in mora non conſtitui eum, qui debitũ præſtare iuſta cauſa impeditur, *l. 2. §. ſi quis. ff. ſi quis cautionibus. l. 3. §. ſi per venditorem. verſ. mora autem.* (à ſenſu contrario) *de act. empti & venditi.*

Effectus moræ ſunt multiplices, quorum aliqui conſiſtunt circa rei interitum, de quo hic, aliqui circa æſtimationem facti, ſi in obligatione factum verſatur, *l. vinum. infrà hoc tit.* aliqui circa acceſſiones, vt eius, quod intereſt, *l. ſi inſulam. 84. de verb. obl. l. videamus. 19. ff. de vſuris.* vbi fructus debentur à tempore contractæ moræ, *l. Paulus. 14. d. tit.* vbi partus debetur à moroſo. Plura de morę effectibus vide apud Ludou. Mainum *de actionibus lib. 3. cap. 16.*

De ſecundo.

MOra naſcitur dupliciter: vel ex re, vel ex perſona. Ex re, cum reipſa, nulla interueniente denunciatione, contrahitur, vt fur raptorve contrectando ac retinendo ré alienam ſemper in mora conſtituitur, *l. in re*

furtiua. 8.*l. vlt. de condict. furt. l. inter ſtipulantem.* 83.§.*pen. & ibi Gl. de verb. oblig.* Ex perſona, ſi quis interpellatus, ſolutionẽ nihilominus differat, *l. ſi quis filium* 5.§.*ſtipulatio. de collat. bonor.* & creditorem fruſtretur, vnde mora fruſtratio dicitur, *l. hominem certum.* 13.*in fine. ff. mand. l.* 3.*in fine. de vſuris.* An autem vnica ſufficiat, vel bina requiratur interpellatio, q̃ſtionis eſt? Quibuſdam vnicam tantum, modò ei inſiſtatur, deſiderantibus, Charondas d. loco quibuſdam plures requirẽtibus, qui tamen omnes in eo conſentiunt, non aliter interpellati moram argui poſſe, quam cum ſæpius ei denunciatum eſt, *l. ſi conuenerit.* 4.*de pignorat. act. l. Aemilius Largianus.* 39.*de minorib.* facit *l.* 1.§.*de inſpiciendo. ff. de ventr. inſpic.* vt ita debitor congruo loco & tempore interpellatus in mora conſtituatur: neque magiſtratus aut iudex pro tribunali ſedens & ius dicens ratione debiti interpellari debet, quẽ durante officio nec in ius vocari, nec côueniri poſſe traditur, *l.* 2.*de in ius voc. l. pars literar.* 48.*vbi Gl. ff. de iudic.* Sicuti enim is, qui in magiſtratu conſtitutus eſt, cum arte & ingenio ſuæ dignitatis autoritatem augere & côſeruare debet, *l. obſeruandum.* 19.*ff. de off. præſidis.* ita nec à ſubditis quicquam eorum tentandum eſt, quo magiſtratus eleuetur autoritas, *d. l.* 2.*d. l. pars literarum.* Nec etiam debitori, aut vxorem ducenti, aut funus proſequẽti, de-

ti,denuncianda eſt debiti exactio; cum in illo gaudii,in hoc mœſtitiæ ratio habenda ſit, argumento *d.l.2.de in ius voc.§.pen.Auth. vt cũ de appellat.cognoſc.l.Diuus.de off.præſidis.* Quod poſtremum etiam fauore religionis & mortuorum introductum eſſe veriſimile eſt, argumento *l.quemadmodum.in princ.ff.ad l.Aquil. l.oſſa.8.de relig.& ſumptib.fun.* ne ſcilicet quis impediatur in curandis propinquorum funeribus & ſepeliendis cadaueribus, quorũ ſępè tanta eſt deformitas,vt non rarò vel dilectiſſimi filii mater, vel amantiſſimi viri vxor, vbi vel filium vel virum animam exhalaſſe viderit, quanta poſſit celeritate amantiſſimum antè corpus humandum curet,ne horrifica illa ſpecie terreatur,maiorique ex eius aſpectu doloris aculeo ſaucietur, aut ſi diutiùs inhumatum iaceat, vermium inde ebullientium & corpus lacerantium atque exedentiũ,examina cernere cogatur. Quo factum eſt, vt gentiles olim tot rationes excogitauerint,quibus tantam hanc ab hominum conſpectu deformitatem auerterent, Didac.in *cap.fin.n.1.cum ſeqq.mihi fol.795.de teſtam.* Caſſaneus in *catalogo gloriæ mundi parte 2.conſider.5.* Vnde etiam non ante omnia reſtituendus eſt, qui ſe iure ſepeliendi vexatũ dicit, Menoch. *de recuper.poſſeſſ.remed.1. num. 444.* ne ſcilicet corporis humani ſequatur vexatio,*l.ſunt perſonæ.43.ff.de relig.& ſumpt.fu-*

ner. Maximum enim dedecus exiſtimarunt veteres, ſi inſepulta relinquerentur cadauera, *l. quod ſi nulla. 28. d. tit.* qua ratione prohibetur functus defuncti impediri ex eo, quod eius creditores petunt corpus defuncti detineri inſepultum, donec ſoluatur æs alienum, vel de ſoluendo detur cautio, Didach. in *cap. Reinaldus. §. 3. nu. 3. de teſtam.* vbi reiicit Gloſſam in *can. ei qui appellat. §. ſunt etiam quorum. verſ. ſi quis & auſus. verb. defuncti. 2. quæſt. 6.* quæ probare videtur ſepulturæ inhibitionē ratione debiti liquidi factā, quod iniquum hoc ſit, & maximè à Chriſtianis moribus alienum, cum natura, humanitas, verecundia & ſalubritas Reip. doceat hominem mortuum ſepeliri debere, cuius certè omninò à nobis habenda eſt ratio, *l. cum ſit. 6. Cod. de ſepulch. violato.* qua de re videantur plura apud Petrum Peckium *de iure ſiſtendi & manuum iniect.*

Præcedente itaque congrua interpellatione mora incurritur non quidem ſtatim, *l. quod dicimus. 105. de ſolut.* ſed conceſſo poſt interpellationem ſpacio, eoque nec maximo, nec minimo, adeoque iudicantis arbitrio, argumento *l. ratum. 13. ff. d. tit.* Gl. in *l. Aemilius. 39. verb. reſtitui. de minorib.* Gl. in *l. diuortio. 35. verſ. non. n. è veſtigiò. verb. ſi non proximus. de negoc. geſt.* Qua de re vide plura apud Menoch. *de arbitrar. iudic. lib. 2. centur. 1. caſu 36.* ibi; *de tē-*

pore

pore conceſſo interpellato, vt compareat, ne moroſus reddatur.

Circa formam interpellãdi diſtinguitur. Nam ea, quæ nobili officio iudicis expediẽda ſunt, iudicialem interpellationem deſiderant, *l. cum poſtulaſſem. 44. infrà de damno infecto.* Ea verò, quæ mercenario iudicis officio expediuntur, extraiudiciali interpellatione contenta ſunt, Bart. in *l. amplius non petitum 15. infrà rem ratam hab. l. denunciaſſe. 17. infrà de adult.*

Eſt etiam tutius ad euincendam debitorum vel aſtutiam, vel impudentiam in interpellando vti verbis non quidem curialibus, ſiue ciuilibus; quæ vt non obligant; ita nec & multò quidem minus in mora conſtituũt *l. fin. C. quod cum eo, &c. l. ſi verò. 12. § cum quidam ff. mandati.* late Bart. in *l. Lucius. 25. ff. de fideiuſſor.* facit *l. fideicommiſſa. 40. §. 2. de legat. 3. l. ex verbo. 12. & ibi Gl. in verb. commendo. C. de fideicommiſſar. libert.* Quibus in locis huiuſmodi verba curialia ab aulicis adeoque humaniſſimis hominibus, vel vt Gloſſa in *d. §. cũ quidam.* loquitur, à Bononienſibus data, qui ne ſubruſtici & quaſi quicqũam petentibus denegare velle videantur, curialiter reſpondent, nullius ſunt effectus, aut obligationis, Cynus, Albericus, Angel. & Fulgoſius in *d. l. fin.* Iaſon in *l. 1. § ſi quis ita. n. 11. ff. de verb. oblig.* cum hic communis ſtylus ſit & obſeruantia

aulicorum, vt dum nec annuere petitis, nec ea inurbanè recuſare volũt, huiuſmodi verbis vtantur, ex quibus petitor ciuili ſaltem cõiectura aſſequi poteſt, ſe fruſtrà aut in caſſum petiiſſe, argumento *cap. quam graui. 6. de crimine falſi, cap. cum veniſſem. 6. de inſtitut.* Zaſ. in *l. ita ſtipulatus ſum.* 115. *nu.* 19. *de verb. obl.* Sed cum inſtantia petitionis coniunctis, *l. mora.* 32. *infrà de vſuris.* niſi fortè cum ſuperioribus hoc caſu nobis ſit negocium, puta parente, patrono, pręceptore & ſimilibus, quibus reuerentia debetur; quo caſu verba ciuilia ſufficerent, argumento *l. etiam hoc modo.* 118. *de legat.* 1. *l. ſi quis mihi bona.* 25. *§. ſed quid de acquir. hær. l.* 1. *§. quæ oneranda. quarum rer. actio non detur. l. ſi ſuperſtite.* 5. *C. de dolo.* Sicut enim molli brachio tractandi ſunt parentes, *l. cum non ſolum.* 8. *§. ſin autem, verſ. ſin autem. Cod. de bon. quæ liber. Auth. de inceſt. & nefar. nupt.* quæ quidem obligatio à natura, animis & mentibus vnicuique noſtrum inſita eſt, & liberaliſſimis promiſſionib. à Deo factis excitatur, ad cuius rei confirmandam veritatem primam ſecũdæ tabulæ legem allegare ſufficiat, quæ vnica ex omnibus Decalogi legibus pręmium liberis proponit, qui parẽtes cultu proſequuntur, *Exod.* 22. *Deuter.* 5. nec vlla legitur maior in ſacris literis execratio, quã aduerſus eum, qui ad malè tecta patris pudenda ſceleratè arriſerat, *Geneſ.* 9. Nec ſanè iniuria,

iuria, cum peſſimè peccetur cõtra eos, quorum in liberos tanta eſt affectio, vt quod eã in tota rerum natura vincat, non facilè reperias, *l. iſti quidē. 8. in fine. de eo quod metus cauſa. vbi Gl. l. videamus. 4. vbi Gl. in verb. admittendam. de in litem iurando.* Crauetta *conſ. 1. diuino ſubſidio. n. 1.* Menoch. *conſ. 231. nu. 23. vol. 3.* Iohan. de Amicis *conſ. 105.* Ita & patroni, à quibus libertatem, *l. ſi adulterium. 38. §. fin. ff. ad l. Iul. de adulter.* Et præceptores, à quibus informationem accepimus, argumento *l. qualem. 19. ff. de recept. arbitr.* Menoch. *de arb. iud. cent. 5. lib. 2. caſu* 500. Bart. in *l. omnes populi. n. 12. de iuſt. & iur.* Cagnol. in *l. 2. verſ. fin. n. 88. de orig. iuris.* Zaſ. in *l. quidam cum filium. n. 12. de verbor. obl.* Eſt & cum dies interpellat pro homine, eumque in mora conſtituit, *l. magnam. 12. C. de contr. & commit. ſtipul.* qua de re vide Zaſ. in *l. ſi ex legati. 23. nu. 17. cum aliquot ſeqq. & in l. ad diem. 77. de verb. obl.* Iac. Philip. Portium *lib. 4. communium concl. cap. 23.* vbi more ſuo permultas ampliationes & limitationes diſpoſitionem *d. l. magnam.* explicat, Robert. Aurelianenſem *lib. 2. ſentent. iuris, cap. 17.*

55 * Eſt etiam, quandò ipſa interpellat neceſſitas, vt in Vaſallo, qui abſque interpellatione dominum de vita periclitantem, quam primũ certior factus eſt, iuuare tenetur, *cap. 1. §. licet ſi de feudo defuncti contentio ſit, &c. n. 11.* Etſi enim alioqui non tenetur ſe offerre do-

mino

mino irrequiſitus,*d.§.licet.*in caſu tamen neceſſitatis expectare vel nuncium, vel interpellationem non debet,*§.ad hoc tit. hic finitur lex,&c.* Vt hac etiam ratione appareat officii neceſſitatem derogare iuris communis diſpoſitioni,*l.quæſitum.16.de in ius voc. d.l.cum non ſolum.8. C.de bon.quæ lib.* non habet enim legem hæc neceſſitas, *l.1.ibi Gl.& Dd.de offic. conſul.can.mulier.de conſecrat.diſtinct.* 4. Eſt denique cum iuramentum etiam quem citra interpellationem in mora conſtituit ita, vt iurans ſe ſoluturum & intelligens creditorē in neceſſitatibus conſtitutum, in mora re ipſa etiam non interpellatus conſtituatur, per ea,quæ traduntur in *cap. breui.17.de iureiur.* notat Speculator in *titu.de aduocatis,§.1. verſ.ſed nūquid is qui iurauit.*qua de re vide plura apud Portium *lib.3.commun.concl.cap.*14.

Tertium de purgatione moræ.

IVra,quæ de purganda mora diſponunt,in æquitate ſita ſunt quę ſuadet, ne ita rigidè agamus cum proximo in ciuilibus conuentionibus, vt ſi modico non obſeruetur conuentio,ſtatim Reum ad laqueum adigamus, *l.ſi ſeruus,91.§.ſequitur.ff.de verb.obl.* Vnde morę purgatio non immeritò,ſed tamen interdum facilius,interdum pro re nata difficilius admittitur. Moræ purgatio admittitur quandocunque re adhuc integra, *l.3.§.ſi plu-*

res.

res.ff.iudicat.ſolui.etiam vſque ad ſententiam, modò illud ipſum, quod petitum eſt, offeratur *§.fin.Inſtitut.de perp.& temporal.action*. neque enim cogendus eſt litigare, qui paratus eſt ſoluere, *l.ſi Reus.73.de procurat*.modò realis ſit illa & quidem in iudicio facta oblatio, *l. ſed ſi alia.17.infrà de conſtit.pecun*. quo in loco ſilentio prætereundum non eſt, varias eſſe oblationum cauſas: aut enim animo purgãdi moram rem debitam offerimus; quo caſu ſufficit ſola abſque depoſitione ſeu conſignatione oblatio, *l. illud.17.cum l.ſeq. de peric. & comm.rei vend.l.ſi ſeruum.§.vlt.de verb.oblig*. Iaſon in *l.2.n.62.C.de iure emphyteut*. Aut curſum vſurarum vel præſentem, vel futurum inhibere cupimus, hunc ſola, illum cum cõſignatione & depoſitione coniuncta oblatio prohibet, *l.ſi parte.9.l.ex prædiis.5.C.de vſur*. Aut ad euitandam pœnæ commiſſionẽ offerimus, *l.Celſus.28.in fine.de arbitr.l.traiectitiæ. 22.de act. & obl*. Aut pignus liberare per rei debitæ oblationem iudicialiter factã intendimus, *l.ſi rem.29.§.vlt.cum l.ſeq.de pignor. act*. Aut periculum in aduerſarium transferre intendimus per oblationem congruo loco & tempore factã, *l.ſi ſoluturus.39.de ſolut*. Aut debiti liberationem cõſequi volumus; quo caſu nõ ſola oblatio ſufficit, ſed inſuper cõſignatio & depoſitio requiritur *l.ſi debitor offerret.30.iuncta Gl.& ibi Dd.de ſolut.l. obſignatione.9.C.d.tit*.

In

In præparatoriis iudiciorum quanquam adiecta ſit dies & pœna, admittitur moræ purgatio, *l. & ſi quis poſt tres. ff. ſi quis cautionib.* concurrentibus duobus & quòd modico tẽpore exceſſerit, & quod ius partis non ſit factum deterius, argumento *l. ſcio. 4. ff. de in integ. reſt.* Sicut & in obligationibus facti difficultas à mora excuſat, Decius hîc *nu.* 51. 52. per tex. in *l. ſi vehenda. 10. §. pen. ad l. Rhodiam de iactu.* qua in re diſtinguitur, vtrum ea à magiſtratu vel priuatis proueniat, ita vt priore caſu executionem mercatur, *dict. l. ſi vehenda.* poſteriore nõ item, *l. 1. §. ſi Reus. verb. aliter atque. de eo, per quem factum erit. l. 2. §. fin. cũ l. ſeq. ſi quis cautionib.* in quo durior eſt eorum conditio, qui credita habent exigenda à Magnatibus & potentibus adeoque ad exigendum difficilima: nam potentiores potentia ſua præſumuntur impedire exactionem etiam cum iniuria & oppreſſione, *l. illicitas. 6. §. ne potentiores. ff. de off. præſid. l. ad inuidiam. 6. C. quod metus cauſa. l. 1. & toto tit. C. ne liceat potentiorib.* vnde & prohibetur in potentiorem fieri alienatio, *d. l. 1. & toto tit. de alienat. iudicii mutandi cauſa facta.* Cum & aduocati contra eos patrocinium creditorum ſuſcipere recuſent, argumento *l. moderatores. 11. Cod. de off. rectoris prouinciæ.* facit *l. 3. ff. de donat. cauſa mort.* vnde ille ſapientiſſimus mortalium Salomon *Eccleſiaſt.* 8. Non litiges, inquit, cum homine poten-

potente,ne fortè incidas in manus illius,cū plerunque etiam iudices timere ſoleant eorum potentiam. Idem ibidem *cap.7.* vbi: noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrūpere iniquitatem,ne fortè extimeſcas faciē potentis & ponas ſcandalum in tua iniquitate. Hinc licet fideiuſſor habeat benef[illegible]iū excuſſionis,ne ſcilicet a creditore conueniatur antequam excutiantur bona principalis debitoris, *Auth. præſente, C. de fideiuſſ[illegible]r.* tallit tamē quandò vel principalis debitor notoriè non eſſet ſoluendo,vel eſſet de potentioribus, à quibus difficilis eſt exactio, per ea, quæ allegat Decian.*conſ.39. qua facti ſpecie. n.120. vol.2.* plura de purgatione moræ vide apud Zaſ.in *l. ſi inſulam. 84. de verb. obl.* & apud Æmilium Ferrettum in *lib. de mora.*

Ad *l. certum.* VI.

CIrca oſtendendam certi naturam, quæ altera huius Rubricæ pars eſt, Iureconſultus hîc tria ſubiicit. Primum nomen proprium: deinde certas circumſtantias, quæ demonſtrationis vice fungantur: Tertiò ocularem demonſtrationem,tex.eſt hic,& in *l. ſtipulationum. 74. infrà de verb. oblig.* Gl. in *cap. ſignificante 34. verb. non de re extra de reſcr.* quibus addi poteſt certitudo, quę inducitur per relationem ad aliud factam, *l. ait prætor. 5. §. ſi iudex. de re iud.* Niſi fortè legis diſpoſitio ſpeci-

cifi-

cificationem pro forma requireret, vt in *Clemen. appellāti, de appell.* Eſt etiam cū interdum in rebus, quarum ſcientia ita præciſè haberi non poteſt, vehemens quædam opinio ad certificandum ſufficit, *cap. 1. de ſcrut. ab ordine faciendo.* ibi; *ſicut quantum humana potuit infirmitas.* & eſt elegans Gl. in *l. Pantonius.* 85. §. *Rei perduellionis. verb. poteſt quærere. de acquir. hæred.* Sufficit etiam ad inducendam certitudinē quem digito demonſtrari, quo reſpexiſſe videtur, Iuriſconſultus dum certam poſſeſſionem tradi aſſerit, cum res ad oculum demōſtratur, *l. quod meo,* 18. §. *pen. de acquir. poſſeſſ.* id quod vſu venire ſolet, quando executor vel iudex non potuit ingredi fundum, vt actori rei adiudicatæ poſſeſſionem traderet; tunc enim per ſolum aſpectum, vel alium actum fictum transfertur poſſeſſio, tex. eſt notabilis in *l. cum vnus.* 12. §. *fin. cum l. ſeq. de bon. aut. iud. poſſid.* quem Bart. ibi dicit ſingularem, eumque etiam mirabilem & alibi non reperiri inquit Baldus in *l. 2. circa med. C. ne vxor pro marito.* inferēs ex eo, quod ſi per vim Tyranni impediatur realis apprehenſio ſiue miſſio in poſſeſſionem, ſufficiat verbalis: refert & ſequitur Tiraq. in *tract. de iure conſtituti poſſeſſorii, parte 3. limitat.* 17. & quod iuſſus mitti in poſſeſſ. per iudicem, ſi potentia aduerſarii non poſſit ingredi, efficiatur tamen poſſeſſor, tex. eſt expreſſus in *cap. contingit.* 99.

ibi:

ibi: *propter rei potentiam vel dolum. extra de dolo & contum.* vbi huius rei idonea aſſignatur ratio, ne videlicet contumax melioris ſit conditionis, quam obediens, & ad hoc etiam illum text. multum notat Iaſon in *l.* 1. *§. ſi iuſſerim. n.* 12. *de acquir. poſſ.* Faciunt ea, quæ de certi oſtenſione dicta ſunt, ad plures alias notabiles quæſtiones in materia teſtium, in quorum dictis certitudo requiritur. Vnde teſtes, qui non poſſunt videre propter obſcuritatem noctis non probant, Bald. in *l. ſi non ſpeciali, colum.* 1. *C. de teſtam.* & in *l. non ignorant. colum.* 4. *C. qui accuſ. non poſſ.* Gl. in *l. ſi cum exceptione, §. in hanc. ff. quod metus cauſa.* Decian. *cōſ.* 56. *& prima facie. nu.* 30. *vol.* 1. Niſi vel luna luxerit, vel candelæ cereæ accenſæ fuerint, Iulius Clarus *lib.* 5. *practicæ criminalis quæſt.* 21. *n.* 3. videntur enim ea deponere, quæ ſecūdum naturam neque eſſe, neq; certa eſſe poſſunt. Nam delicta de nocte commiſſa ſunt difficilis inquiſitionis & probationis, ideoq; rarò reperiūtur ſine tortura, quod ob tempus nocturnum dicantur clandeſtina, Thomas Grammaticus *conſ.* 1. *tremendi Dei. num.* 10. 11. Quo autem pacto per teſtes probetur noctis tempore fuiſſe commiſſum maleficiū, vide Maſcard. *de probat. vol. concl.* 1113. *mihi fol.* 350. Panorm. in *cap. ſi perfodiens.* 3. *extra de homicid.* Eiuſmodi quid eſt, quod traditur, non concludere dictum teſtis interrogati, à qui-

bus dici audiuerit, ſi ſe neſcire reſpondeat, Bald.in *l.de quib.in 4.quæſt.de ll.* niſi tamen deponat de loco & perſonarum numero, ex quibus præſentibus audiuerit, licet nemině cognouerit; cum hominum nomina probabiliter ignorari poſſint, *l.ſi quis in fundi.4.de legat.*1. Eadem certitudo etiam in libellis requiritur, vel criminalibus vel ciuilibus. Nā propter facti certitudinem in libello criminali debet exprimi locus & tempus, *l. libellorum.3.de accuſat.can.fin. 2. quæst.8.* quod adeò verum eſt, vt omiſſo loco & tempore libellus dicatur inutilis & ipſo iure nullus, Alex. in *l.edita.n. 3.de edendo.* In ciuili cauſa nō deſunt, qui libellum, in quo petitur caſtrum cum ſuis pertinentiis, tanquam nimis generalem, adeoque certi nihil concludětem reiiciant, Angel.in *§.curare.Inſtit. de act.* per tex.*l.3.§.armamenta, de rei vind.* quorum opinionem confirmare videtur textus in *d. §. curare.* cum enim iudicis officio imponat, vt certam ferat ſententiam, quod incerta non valeat, *toto tit. C. de ſententiis quæ ſi certa quantitate profer.* conſequens eſt, petitionem libello propoſitam certam eſſe debere, vt in id, quod petitum eſt, fieri poſſit condemnatio, *l.vt fundus.18.communi diuid.l.fin.C.de fideicommiſſ.libertat.* Suſtineri tamē poterit eiuſmodi libellus, *cap.cum ad ſedem.15.de reſtit.ſpoliat.cap. cum venerabilis.16.de exceptionib.* Ferrarius in

forma

forma libelli actionis realis. vel quod eiuſmodi pertinentiæ petantur tanquam acceſſoria, Bart.in *l.1.nu.*10.*de edendo*. Panorm.in *cap.2.n.*10.11.*de libelli oblat*. vel quod libellus generalis admittatur in vniuerſali iudicio, Gl.in *l.1.verb.vt proinde.de edendo*. Neque verò difficilis eſt ad *l.3.§.armamenta.* in contrarium allegatam reſponſio, cum ſcapha non ſit ad nauem acceſſoria; quippè quæ legata naui non veniat, *l.fin.de fundo inſtructo*. & certitudo pertinentiarum declarari poſſit in proceſſu executionis, Gl.in *d.l.1.de edendo*. plura dè libello incerto vide apud Socin. in *cap.ſignificantibus.n.20.22.cum ſeqq.de libelli oblat.*

Quomodo autem poſtrema verba legis noſtræ intelligenda ſint, vide apud Ioh. Robertum *lib.3.ſentent.iuris cap.*14. *mihi fol.* 338.

Ad *l.omnia. VII. cum l.ſeq.*

SIcut alii contractus, ita etiam mutuum ſub cõditione vel expreſſa vel tacita celebrari poteſt: cuius rei duo exempla Iureconſultus hic ſubiicit, quorum alterum expreſſa, alterum tacita conditione nititur. Expreſſa, vt mutuo dedi tibi decem, ſi à debitoribus meis mihi ſatisfactum fuerit, euẽtu pendente, pendet, euentu ſecuto enaſcitur mutuum, vt de meo fiat tuum. Tacita, vt hæres defuncti pecuniam mihi legatam tibi mutuò dedit, quę pecunia ſicut in caſu

acceptati à me legati tibi non rectè fuit credita; ita in euentum illius à me repudiati rectè tibi creditur. Fingitur enim hæres retrò fuiſſe dominus illius pecuniæ à tempore aditæ hæreditatis, quæ dominii ſuperueniẽtia tibi etiam tanquã tertio prodeſt, textus eſt his legibus noſtris. Huius contrariũ diſponi videtur in *l.ſi à Titio.72.de rei vindicat.l.apud Celſum.4.§.ſi à Titio.de doli mali & metus except. l.ſi quis alienam.47.de action.empti.* Ad huius dubii reſolutionem Dd. hic vtuntur diſtinctione Bartoli, qua dupliciter cõſiderat dominii ſuperuenientiam in perſona autoris. Aut enim retrò trahitur ad tẽpus aditæ hæreditatis; quo caſu dominii ſuperuenientia prodeſt ſucceſſori cauſam ab hærede habẽti, quibus in terminis loquitur Iureconſultus hic: aut non retrò trahitur dominii ſuperuenientia: cum nulla poſſit præſupponi hæreditatis aditio, cuius intuitu retrò trahatur; quo caſu ceſſante fomento ſuſtinentem cauſam retrò fingendi dominii ſuperuenientia in perſona autoris, non prodeſt ſucceſſori, quibus in terminis loquũtur iura in contrarium adducta. Neque verò omittenda ſunt verba vltima *l.proinde.* de legato appoſito: quæ cum obſcuriora ſint, explicationem deſiderant, Bart. & alii legatum appoſitum pro acceptato intelligunt, rectius Salicetus pro onere appoſito in legato, quod

repu-

repudiatum eſſe Iureconſultus intelligit: vt ita ſenſus horum verborum ſit, ſiue legatarius repudiet legatum ipſum, ſiue onus legato appoſitum, ſemper hæres fingitur retrò fuiſſe dominus; cum non debeatur cõmodum legati ei, qui onus detrectat, *l. vnica, §. pro ſecundo. C. de caducis toll.*

Cuius rei occaſione non inconuenienter quæritur? an legatarius, cui legata res eſt, puta vinea, appoſito hoc onere, vt partem precii reſiduam nec dum eo tempore ſolutam venditori ſoluat, ſi eam teſtator adhuc viuus numerauit, teneatur hanc conditionem implere, & cohæredibus eam pecuniã reſtituere? Et verius eſt legatum hoc caſu cenſeri vel intelligi factum purum, vt in terminis decidit Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib.* 12. *tit.* 2. *n.* 28. facit *l. ſi ex toto.* 8. *in princ. de legat.* 2. *l. hæc conditio.* 10. *§. fin. cum l. ſeq. de condit. & demonſtrat.* eiuſmodi quid eſt, quod legatum factum adiecto eo onere, vt legatarius debeat morari cum aliquo, ſi legatarius cœpit morari, & onus illud deficiat, nihilominus debetur per ea, quæ allegat Menochius *conſ.* 146. *nu.* 19. *vol.* 1. Et quod in ſimili hæres ſcriptus cum conditionibus, ſi nulla poſteà appareat conditio dicitur hæres purè, *l. ſi teſtamentum.* 8. *C. de inſtit. & ſubſtit.* Decian. *conſ.* 46. *in prima. n.* 156. *vol.* 2.

Ad *l. certi condictio.* IX.

EXplicat hæc lex tertiam Rubricæ partem de certi condictione, id eſt, perſonali actione, quæ locum habet ex omni cauſa, adeoque ex omni vel conuentione, vel obligatione, modo præſens, id eſt, pura ſit obligatio. Nam ſi vel ad diem, vel ſub conditione concepta ſit obligatio, non eſt, quod ante natiuitatem diei vel euentum conditionis poſſimus condicere: Id quod in legatis, in maleficiis vel quaſi, & ex cauſa furtiua, denique ex SC. Trebelliano, ex quo hæreditates fideicommiſſariis reſtituuntur, & datur contra quemcunque, ſiue ſuo, ſiue alieno, puta fideiuſſorio aut procuratorio nomine conuentum.

Originem habet certi condictio à more veterum, qui non ſtatim iudicialiter agebant, ſed prius condicebant, id eſt, denũciabant debitoribus, vt officium in ſoluendo facerent. Et quicquid dicant iura de nõ neceſſaria hodiè denunciatione, Gl. in *l. creditores. in verb. debent. C. de pignor.* Iaſon hic *n. 4.* Apud veteres certè vſitata fuit, *l. debitores. 10. C. de pignor. l. ſi conuenerit. 4. de pignorat. actione.* Qui humanius egerunt & Chriſtianis morib. conuenientius, & poſteà vtilius experti ſunt amicabiliter compellando prius, quẽ poſteà nolentem facere officium iudiciali-

ter

ter conuenire voluerunt, humanius eſt, quẽ amicè prius admoneri, *l. quidam Hiberus. 13. ff. de ſeruit. vrban. præd.* quanquam non ignorem illam l. alio ſenſu à recentioribus accipi, qua de re Duaren. *lib. 2. anniuerſariar. diſput. cap. 28.* Vtilius eſt; quia ſi debitor nulla præcedente admonitione à me iudicialiter conuentus ante litem conteſtatam ſoluerit, non eſt, ꝙ condemnationem expenſarum poſſim expectare, vel mihi promittere; ſecus ſi prius ante iudicialem litem illi motam ei denunciatum fuerit, quo caſu licet ſolutione ante litem conteſtatam facta nihilominus ad expenſas tenetur, Bald. in *l. non ignorat. Cod. de fruct. & litium expenſis.* Iaſon hic *nu.* 4. Deniq; pietatis eſt & religionis prius monere quẽ, quam ei minari, *Syrac.* 19. ibi: *admone amicum, antequam cum eo expoſtules.* & memor eſto legis diuinæ, cum quidem prohibeamur contendere, ſed potius humaniſſime nos inuicem tractare iubeamur. 1. *ad Titum 3. cap. 2. Theſſ. 3. Matth.* 18. An autem vna ſit vel duplex certi condictio, ſuprà dictum eſt, non conuenire inter interpretes Vltramontanos & Citramontanos, quorum illi duplicem, hi vnicã tantum conſtituunt, quorum argumẽta vide apud Tobiam Nonium *Inſtitut. quib. mod. re contrah. obligat. n.* 42. 43. 44. vbi tandem *nu.* 46. triplici inſpectione rem definit. I. Vnã eſſe certi condictionem in genere & in ſub-

pinionem Rei conuenti apud bonos & graues, vt furtiua condictio, *d. l. ceſſat. l. honori. 2. infrà de obſeq. a liber. & libertis, &c.* notat Azo in *Summa C. ſi certum petatur.* Commoda ſanè ratio agendi cum boni prætoris ſit, litem potius reſtituere, vt ratio & æquitas poſtulat, quam actionem famoſam conſtituere, ad quam tum demum deueniendum eſt, cum remedio locus eſſe non poteſt, *l. Diuus. 8. in fine de in integr. reſtitut.* Quod notandum eſt, non tantum propter eos, quibus debeamus reuerentiam, vt ſunt Vaſalli, vt ſunt liberi, vt ſunt diſcipuli, qui feudi dominum, parentem & præceptorem revereri tenentur, Gl. fin. in *l. liberto. 9. verb. debet infrà de obſeq. à lib. &c.* Verum etiam propter Clericos, qui propter homicidium vel mortem, cuius autores ſunt, fiunt irregulares. *cap. prælatus. 2. de homicid. in 6.* facit *cap. tua nos. 19. §. vlt. extra de homicid.* Socinus in *cap. audientiam. n. 52. extra d. ti.* Quod adeo verum eſt, vt etia criminalis accuſatio, in qua de cauſa ſanguinis tractatur, Clericis interdicta ſit, *cap. poſtulaſti. 21. extra d. tit.* facit *cap. excuſaſti 8. extra de accuſ.* Liber tamen erit eiuſmodi Clericus ab hac irregularitate, ſi in ipſamet accuſatione, vel in ipſo iudicio proteſtetur non petere ſe criminis vindictam, quæ fortè mortē aut mēbri mutilationem inferat, *d. cap. 2.* nec imputabitur ei mors accuſato illata per iudicem

iuſtitiæ limites, & ius ipſum excedentem, Gl. communiter approbata in *d.cap. 2. verb. iuſtitia*, vide de hac re plura apud Didachum in explicatione *Clement. ſi furioſus. de homicid. parte 2. §. 5. mihi fol. 596.* Cæterum ſicut cauſam cuius meminit Iureconſultus hic, de remota accipit Iaſon hic *n.7.* Decius *n.1.* modò tamen non ſit multum remota, ſed proximè coniuncta: tunc enim æquè attenditur ac cauſa proxima immediata *l. in lege Cenſoria 204. de verb. ſignificat. l. vxori quis. 14. infra de auro & argento legato.* Perpetuum enim eſt, vt ſemper plus operetur cauſa proxima, quam nimis remota, *l. ſocium qui in eo. 61. §. 1. pro ſocio.* & in dubio iura intelliguntur de proxima, non de remota cauſa, *l. carbonum. 167. de verb. ſignificat. l. cum de hoc. 27. de except. rei iudic.* ita obligationem pro cauſa immediata intelligimus, quæ quidem non ex vno fonte oritur: aut enim obligamur, adeoq; debitores conſtituimur ex contractu, *l. ſtipulatio. 38. §. inter incertam. de verb. obl. l. quod quis. 49. de act. & obl.* idque vel purè, vel in diem, vel ſub cõditione. Purè debet is, à quo inuito tota die poteſt exigi, *l. debitor. 108. de verb. ſign.* Debitor in diem & is eſt adeò debitor, vt ante diem ſolutum repetere non poſſit, *l. in diem. de condict. indeb.* quod ipſum quomodo intelligendum ſit, videatur apud Iohan. Robertũ, *li. 1. ſentent. iuris ca. 26.* Eum qui ſub conditione debet,

ne debet, lex nondum impleta conditione de debito admoneri non poſſe tradidit; neque eum, cui ita debetur, ſimpliciter creditorem, ſed cum adiectione conditionalem vocat, *l. conditionales.* 54. *cum ſeq. l. creditores.* 10. *d. tit.* Quæ adiectio impropriè creditoré eſſe ſignificat. Nam quando aliquid appellatur cum adiuncto nõ dicitur proprietale, *l. Lucius.* 91. *§. quæſitum. de legat.* 3. Aut ex vltima voluntate debemus, *l. filiusfamil.* 117. *§. apud Marcellum. ff. de legat.* 1. *l. poſt mortem.* 12. *C. de fideicommiſſ.*

Aut lex ipſa debitores nos conſtituit, vt hæredes defuncti mariti; qui tamen annum habẽt, ad reſtituendas res dotales mobiles ſe mouẽtes & incorporales, *l. vnica. §. exactio. vbi Gl. C. de rei vxor. act.* Quo legis beneficio ſi in dotis reſtitutiõe vti velint, nec mulier habeat, vnde ſe alat, alimenta viduæ præſtare tenentur, Accurſ. in *l. pen. ff. vt in poſſeſſ. legat.* Quod ſi res dotalis immobilis ſit, ea cũ fructib. ab hæredib. viri viduæ illicò ſoluto matrimonio debet reſtitui, *d. §. exactio.* Ex tot & diuerſis debendi cauſis orta eſt & hæc quæſtio, quãdo debitor ex multis cauſis ſoluit, quã in cauſam ſoluiſſe præſumatur: quæ tractatur à Papiniano in *l. cum ex plurib.* 97. *de ſolut.* Menochio *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 136. Quotieſcunque itaque debetur quid ex cõtractu non tantum certò, verũ etiã incerto

hæc

hæc condictio competit: dicitur autem certus contractus, quando ex conceptione verborum de certo inuariabiliter conſtat, argumẽto *l. certũ 6. ſupra hoc tit.* Quod ſi aliter ſe habeat incertus quidem contractus dicitur, ſed ex quo plerunque res certa ſolet emergere. Etſi autem intereſſe etiam quod nõ rarò in contractum deducitur, incertum ſit, etiam ad intereſſe datur hæc certi condictio, §. *curare. Inſtitut. de act.* facit *l. vbi autem. in princ.* § *. illud. de verborum obligationibus.* Dd. *Inſtitut. quibus mod. re contrah. obl.* vbi Nonius in 49. tripliciter diſtinguit, quod verum eſt, ſi intereſſe petitur ſimpliciter; ſecus ſi ad factum etiam ageretur; quatenus in ſententia non certificatur quantitas, *d. l. vbi autem. §. qui id quod. de verb. obl* notat Gl. in *l. 1. de cond. ſine cauſa. verb. ſed obligatum.*

Ad §. *quoniam.*

TRadit in hoc §. Iureconſultus regulam, quam poſteà ſubiectis quatuor exẽplis illuſtrat. Regula eſt, quod ſtipulatio inutilis ſubſecuta numerationem, ex ea actionem oriri non prohibeat. Primum exemplum regulæ declaratorium eſt de numerante decẽ, & ſtipulante poſteà, vt dentur alteri: quę ſtipulatio tertio quippe facta cum inutilis ſit, actionem non producit, ſed ex ſola nume-

ratione

ratione condictio numeranti competit. Cuius rei occaſione de trita illa & nobili quæſtione, an & quandò ſcilicet ſtipulatiò alteri facta valeat vel non valeat, rectè quæritur? Et regulare eſt, alteri ſtipulari neminẽ poſſe, *l. ſtipulatio iſta. 38. §. alteri, de verborum obligationibus.* vbi Iureconſultus huius deciſionis hanc aſſignat rationem, quòd inuentæ ſint huiuſmodi obligationes vt vnuſquiſque ſibi acquirat, quod ſua intereſt: Cæterum vt alii detur, nihil mea intereſt. Quæ ratio quomodo cum vtraque iuris diuini tabula conueniat, ex eo apparet, quòd dominus exprimere volens quanta propenſione nos in proximorum dilectionem agi oporteret, eam ad noſtri amorem cum nullum haberet vehementiorem aut validiorem affectum tanquam ad regulam exegerit.

Etſi autem hanc regulam de ſtipulatione alteri fruſtra facta vltra Doctores in ſedibus ordinariis in *dicta lege ſtipulatio iſta. 38. §. alteri. de verborum obligationibus. & §. ſi quis alii. Inſtitut. de inutil. ſtipulat.* ſubiectis ampliationibus & limitationibus fuſiſſimè proſequitur Iacobus Philippus Porcius *libro ſecundo concluſionum ſeu regularum, capite 46.* Paucis tamen etiam hoc loco attingere non abs re fuerit in qua tractanda inter perſonas & res in

ſtipulationem deductas non vſque adeò incommodè diſtinguitur: diuerſum enim deciditur, ſi publicæ perſonæ alteri ſtipulétur, diuerſum, ſi priuatæ. Diuerſum circa feuda ſecundum aliquos. Diuerſum pronũciatur circa allodia, vt ſuo loco videbitur.

De ſacerdote certè traditur, quod tãquã perſona publica alteri rectè ſtipuletur, modò in caſu eius officium concernente fiat eiuſmodi ſtipulatio, Bart. in *l.1.§.1.n.7. de iuſt. & iure. cap. quanquam de vſuris.in 6*. Nam extra officium facta ab eo ſtipulatio nihil operatur: cum non ſine culpa ſit, qui rei ad ſe non pertinenti ſe immiſcet, *l. culpa 51. de R. I.* nec vnus ſe de officio alterius intromittere debeat, Dec. in *d.l. culpa. n. 2.* Cagnol. in *proœm. ff. §. hæc autẽ tria. n.* 249. allegãs *l. conſulta. 23. C. de teſtam.*

Eodem modo ſe res habet circa Notariũ qui ſi non dominum vel actionem, ſaltẽ ius acceptandi per contractũ ſtipulationis tertio poteſt acquirere, *l. 2. & 4. ff. rem pupilli ſaluam fore.* vnde iura de Notario alteri per cõtractum ſtipulationis acquirente loquentia appellant eum ſeruum publicum, *l. non aliter* 18. *de adopt. & emancipat.* Gl. in *d.l. 2. & l. 4.* Accurſ. in *§. cum autem. verb. tabellioni, Inſtit. de adopt.* quod quale ſit, videatur apud Forcatulũ *dialogo* 98. *n.* 3. 4.

Quo ſenſu & dicuntur perſonæ publicæ,

Lor-

l.orphanotrophos.30.§.1.C.de Epiſc.& Cle. Quod cenſeantur habere mandatum à lege vel ab ipſa vniuerſitate ad ſtipulandũ & acceptandũ pro quolibet de vniuerſitate: ita vt quod per notarium nobis acquiritur, non tam per ipſum quam per legem acquiri dicatur, Gl. in *l.1.verb.in domino, & ibi Baldus, de his qui ſunt ſui vel al.iuris.deciſ.Pedemontana.33.n.10.* Qua de re videatur Nicolaus Mozius in *tractat.de contractib.ſub Rub. quomodo irrita & nulla fiat ſtipulatio, mihi fol.327.& in Rubr.de dona.n.25.26.* Forcatul.*dial.63.n.3.* Hotoman.*lib.3.obſeruat.cap.8 lib.4.cap.25.28.29.* Molinæum *conſ.60.* Ioſephum Ludouicum *concluſ.52.* vbi allegata opinionum varietate in hac quæſtione ſeptem caſibus rem definit, quos vide, vt ibi per eum Rolandum à Valle *conſil. 19.tomo 1. per totum.* ex quorum ſcriptis apparet hãc etiam quæſtionem eſſe vnam ex iis, quæ inextricabilibus Doctorum dubitationibus annumerari debeat; quippe in qua tractanda tàm varii fuere ſcribentes, vt vtraque opinio de neceſſitate ſubſecutæ ratificationis & nõ neceſſaria ratificatione nõ ſolũ communis, verũ etiã magis communis dicta ſit, Clarus in *§.don.quæſt.13.* Burſat.*conſ.40.n.16. li.1.* Cephalus *cõs.32.li.1.& conſ.444.lib.3.* vbi omnes ad ſua vſq; tempora allegat & doctè loquitur, licet ab eo quod *d.conſil.33.* tradiderat, diſſentiat.

Sunt

Sunt etiam qui de iure pontificio eiuſmodi ſtipulationem in tertii abſentis commodum factam ſubſiſtere ſtatuũt, Didach. in *ca. quamuis par.* 2. §. 4. maximè ſi iuramẽtũ interueniat, Gl. in *can. quoties cordis oculus* 1. *quæſt.* 7. *verb. & parte.* prolixè Rolandus à Valle *conſ.* 19. *tomo* 1. *n.* 29 30. Alciat. in *cap. cũ conting. n.* 109. *extra de iureiur.* quam ſententiam etiam de iure ciuili ſuſtineri cenſuit Iohannes Buzerus *de contractibus iuratis cap.* 36. *num.* 4. 5.

Eſt & cum valet ſtipulatio alteri per alterum facta, quando ſcilicet ſtipulantis intereſt, cuius rei exemplum habetur in *l. ſtipulatio iſta.* 38. §. *ſi ſtipuler. de verb. oblig.* Tiraq. *de retract. gentilitio.* §. 1. *Gloſſa* 9. *n.* 132.

In feudis etiam frater poteſt ſtipulari alteri fratri abſenti, Bald. & Salicet. in *l. fin. C. res inter alios acta.* Iaſon. in *d.* §. *alteri.* qua tamẽ in re diuerſimodè ſentiunt interpretes, vt videre eſt ex iis, quæ tradit Porcius ſupra allegato in loco *limitat.* 1. Andreas ab Exea *de pactis, n.* 190. Zaſius in *d.* §. *alteri. n.* 12. vbi negatiuè concludit, & allegat Alexandrum tenentem contrarium per aliquos textus iuris feudalis *cap.* 1. *in fine. de feudo Marchiæ. cap.* 1. §. *cum verò Conradus. de duobus fratribus. &c.* qui textus loquuntur de fratribus præſentibus inueſtituram communiter accipientibus.

Al-

Alterum exemplum regulæ declaratorium eſt de eo, qui pupillo in præſentia tutoris decem numerat, adeoque illum ſibi obligat, quam ſi poſtea ex interuallo ab eo abſẽte tutore nulliter & inutiliter ſtipulatur, cõdictio illi ex numeratione nihilo minus cõpetet. Cuius rei occaſione quædam contrarietas Iureconſultorum conciliãda eſt: nam pupillum ſine autore tutore mutuam pecuniam accipiendo ne quidem naturali iure obligari; ſcribitur in *l. pupillus.* 58. *de act. & obl.* cum quo textu conſentit *l. pupillus.* 41. *de condict. indeb.* cuius contrarium habetur in *l.* 1. *de nouationibus.* vbi pupillus, ſi ſine tutoris autoritate promiſerit, obligatione naturali tenetur. Ludouicus Charondas *lib.* 1. πιθανῶν (*l. veriſimilium.*) *cap.* 19. huius nodi ſolutionẽ ex æquitatis regula deſumit, tres caſus conſtituendo. I. Si locupletior cum alterius iactura factus ſit pupillus contra naturalem æquitatem peccabitur, ſi obligari non dicamus. II. Si nullum ex ea obligatione ſentire detrimentum poſſit, non erit iniquum aliquem obligationi effectum tribuere. III. Si ſimpliciter promittat, aut ita pupillus contrahat, vt ſibi nocere poſſit, ſi ad ſoluendũ cogatur, iniquum & naturæ minus congruum erit, eum iudicii expertem obligari, dãnumque ex ſua infirmitate ſentire, *l. ſed etſi* 28. *in princ. de petit. hæredit.*

Aliam huius difficultatis ſolutionem vide apud Iacobum Reuardum in *l. cum amplius.§.is natura.de R.I.* Corraſium *lib.6.Miſcellan.cap.*22. Conſultius itaque erit, vt è diuerticulo in viam redeamus priori potius numerationi, quam ſubſecutæ ſtipulationi adeoque nouationi inſiſtere, propterea quod ex illa condictio detur, ex hac non itẽ: quippe abſente tutore adeoque inutiliter facta. Eiuſmodi quid eſt, quod de ſententia traditur, eam habere vim rei iudicatæ, niſi tamen ſit nouata, *l.4.§.ſi ex conuentione.de ſentent.& re iudic.* Quo loco Paulus de Caſtro notabiliter admonet ne facilè recipiamus promiſſionem ſolutionis ab eo, qui per ſentẽtiã nobis cõdemnatus eſt; quia ſi fuit facta promiſſio, præſumitur facta animo nouandi, & tollitur omnis effect⁹ rei iudicatę. Itaq; Zaſ.ib. multum, inquit, refert, ſi poſt rem iudicatã promittatur pecunia per ſtipulationem: nã receditur à parata executione, & victor auem, quam manibus prehenderat, dimittit, & ſuboritur nouus proceſſus ex facta promiſſione; quia qui promiſſionem accepit, is etiam litis euentum expectare cogitur, & agendum ei erit ex ſtipulatu, per textum *l.2.C.de execut.rei iudic.* Ita ſcribit Claudius Cantiuncula *conſ.18.ſextus inſtructionis articulus n.6.7.*

Tertium

Tertium exemplum eſt de numerante decem,& poſtea ſub conditione impoſſibili eoſdem ſibi ſolui ſtipulante; quo caſu iterũ datur condictio ex numeratione, vtpotè ex contractu vtili,non ex ſtipulatione, quæ ratione adiectæ conditionis impoſſibilis nulla eſt & irrita,*l.cum hæres.* 4. §. 1. *de ſtatu liber.l.inter ſtipulantem.* 83. §.*ſacram. de verb. obl. cap.in malis.de R. I. in* 6. Ea ratione creditor, qui accepta ſolutione promiſerat reddere chirographum,quod tamen vlterius ſecum non habet,vel incendio deperditum, vel alio caſu amiſſum,cum reddere non poſſet liberatur reddens apocham. Gl.in *l.huiuſmodi.* 86.§.*ſi ita.verb.cui de legat.*1.*l.pecuniæ.*14.*C.de ſolut.*qua de re vide plura apud Sarmientum *lib.* 2. *Selectarum interpretationum cap.*1.

Quare autem conditio impoſſibilis contractui adiecta eum vitiet, teſtamentum nõ item, quæſtionis eſt? Quidã aſſignant huius diuerſitatis hanc rationem, quod æquũ ſit eum, qui ita contraxit, ſibi imputare, quod talem conditionem in contrahendo ipſe ad miſerit, §. *ſi impoſſibilis. Inſtitut. de inutil. ſtipul.* Iniquiſſimum eſſet, vitiare eam teſtamenta & imputari legatario vel hæredi, qui impedire non potuerit, ne eam teſtator adiiceret. Si tamen in ipſa inſtitutione ſit impoſſibilitas, non

valet teſtamentum, *l. ſi Titius. 16. infra de cõdit. inſtitut.* Alia huius rei ratio aſſignatur à Martiano in *l. non ſolum. 30. infra. de act. & oblig.* quia ſcilicet contrahentes, quorum omniũ voluntas in contractibus ſpectatur, conditionem impoſſibilem adiicientes non cenſentur in eam conſenſiſſe, *l. ſi. quæ ſent. ſine appellat. &c.* nec ſeriò quicquam agere, ſed magis iocari & ludere voluiſſe, *l. cum hæres. §. 1. de ſtatu liber.* in inſtitutionib. & legatis verò latior & benignior ſit interpretatio, *l. in teſtamentis. 12. de R. I.* neque credendum eſt, quẽquã teſtamento ſuo quicquam voluiſſe adiicere ad impugnandum ſuum iudicium, *l. 3. de milit. teſtam.*

Quartum exemplum eſt de numerante decem illi, qui tempore factæ numerationis erat bonæ frugis, & omnino talis, cum quo rectiſſimè poterat contrahi, ſed poſteà cum ad prodigalitatem degeneraret prouidente ſibi per viam ſtipulationis, de quo Iureconſultus hic reſpõdet, licet inutilis ſit eiuſmodi cum prodigo facta ſtipulatio: tamen condictionem ex priori numeratione illi competere.

Quibus omnib. loco corollarii rectè ſubiicitur explicatio vulgatæ regulæ, qua quod vtiliter geſtum eſt, propter inutile non vitiatur, *can. vtile. de R. I. in 6. l. 1. §. 1. quod falſo tutore autore, &c. §. ſi quis inſtit. de inutil. ſtipulat. can ſicut*

ſicut facti. 1. quæſt. 1. In iis tamen, quę adeò coniuncta ſunt, vt diuiſionem non recipiant, vtile per vtile vitiari receptum eſt, *l. ſi ſponſus. ſupra. §. generaliter. de donat. inter vir. & vx. l.* 1. *§. item quæritur. §. Trebatius. de aqua quot. & æſt.* Qua de re vide plura apud Tiraq. *de re tractu gentil. ad finem tituli, n.* 64. Cagnol. in *l. fin. l.* 49. 50. *de iurisdict. omnium iudic.*

Ad *§. ſi nummos.*

SI meam pecuniam tuo abſentis & ignorantis nomine numerauero alteri, tibi actio vel condictio quæritur. Multò magis hoc erit verum, ſi tua voluntate hoc fecero, adeò vt nę quidem de eo dubitandum eſſet, imò quotidiana obſeruãtia hoc comprobari Iureconſultus hic aſſerat, circa quod duo obſeruanda veniunt: primum, an omnibus legibus Digeſtorum ſubſit ratio dubitandi. Etſi autem ſubeſſe putent plerique ex *l. quod Labeo. 9. ff. de Carbon. edicto. l.* 1. *ad municipal.* tamẽ hoc perperã dici vel ex eo apparet, quod Scæuola quandoque reſpondit, hęc lex nec rationem dubitandi habet, nec vnquam habuit, *l. quæris. 3. infra. de natal. reſtit.* Vnde infinitæ ſunt & innumeræ Iureconſultorum leges tam claræ, expeditæ & exploratæ, vt nullam prorſus dubitationem contineant, textus eſt hic, & *l. filius. 28. §. ſi quis. de lib. & poſth. l. ſi poſſeſſor. 55. ſupra de rei vindicat. l. vſufructu.* 52.

ſupra. de vſufructu. l.ſub conditione. 53. *d. tit. cum plurib.aliis.*

Deinde argumentum à ſolitis vel communiter accidentibus quod in iure noſtro eſt validiſſimum, textus eſt hic, & *l.quod ſi nolit.*31.§.*quia aſſidua de ædilit.edicto.l.vt liberis.*17 *C.de collationibus.l.excepto.*18.*C.locati.* qua de re vide plura apud Hippolyt. de Marſil. *ſingul.*1.

Ad §. *cum l. ſeq.*

VT plenius & dilucidius percipiatur ſenſus huius §. ſciendum eſt, varios eſſe depoſiti gradus: Aut enim deponitur ſpecies, idque ſimplicis cuſtodiæ cauſa, non data facultate vtendi, *l.*1.§.1. *infra. depoſ.* quo caſu ad vſuras ne quidē expreſſo pacto vel ſtipulatione obligari poteſt depoſitarius, *l. Lucius.* 24.*d.tit.* Aut ad numerum, vel ad menſuram plerunque ab iis, qui pecuniis abundant, idque ad euitandum numerandi computādique tędium, quid deponitur, appoſita hac lege vt tantundem reddere ſufficiat, & quidem abſque omni dilatione, quandocunq; deponent repetere placuit, *d.l.*1. *in princ.* & §.*penult.* Aut non ſolum datur ad numerum, ſed etiam vt depoſitarius vti eo poſſit, in qui bus terminis loquitur Iureconſultus hic, & in l. ſeq. quod depoſitum magis exorbitat; quippe cuius ſubſtantia, nempe ratio officioſæ cuſtodiæ minuitur & non præſtatur

merum

merum officium, ſed potius recipitur. Aut pecunia ſub vſura, adeoque non ſolum conceſſo vſu, ſed etiam accedente quæſtu fœneratitio deponitur, quæ deponendi ratio maximè omnium degenerat, vnde lex tale depoſitum nō agnoſcit, *l. ſi hominem. 7. §. quoties. infra. depoſ.* in quo impropriiſſimo depoſito non habent locum prærogatiuæ & priuilegia depoſiti, præſertim in tertii præiudicium, *d. §. quoties, & l. ſi ventri. 8. §. de bonis. de priuileg. credit.* Quotieſcunque itaque facta eſt conceſsio vtendi vero & formali depoſito, ex interuallo, in quibus terminis loquitur *§. finali.* ſtatim degenerat contractus in mutuum, facta verò ab initio conuentio de vtendo depoſito, contractum depoſiti non niſi vſu ſecuto in mutuum transfert, quibus in terminis loquitur, *l. 10. hoc noſtro tit.*

Ad *L. Rogaſti. XI.*

SEnſus eorum, quæ à Iureconſulto in hac lege traduntur, planus eſt & expeditus: contrariorum tamen difficultas rem facit obſcuriorem. Nam ex diametro inter ſe pugnare videntur Vlpianus hic & Africanus in *l. qui negocia. 34. §. id enim. infra mandati.* vbi qui mutuā pecuniam dari voluit, argentum vendendum dedit,

& nihilo magis pecuniam creditam rectè crediturus eſt. Huius difficultatis variæ afferuntur ſolutiones, quas videre eſt apud Iohannem Robertum *lib. 2. ſententiarum iuris, c. 5*. Sed commodior cenſetur eſſe eorum ſententia, qui diuerſas in vtroque textu circumſtantias ponderant, adeoque dicunt Vlpianum hic loqui de iis, qui præſentes contraxerunt, Africanum reſpondiſſe de abſentib. quorum alia eſt ratio, quam præſentium, *l. falſus. 44. §. ſed etſi is. infra de furtis*. Deinde Africanum loqui de caſu, in quo ſub vſuris pecunia credebatur, quæ citra ſtipulationem non debentur, *l. Titius. infra de præſcriptis verb.* cum quidem ſtipulatio inter abſentes non contrahatur, *l. 1. de verb. obligat*. Tertio ſolus procurator & quidem per epiſtolam egit in caſu, de quo Africanus loquitur, cuius ſola voluntate pecunia in creditū conuerti non potuit, cum quidem in hac l. noſtra contrahentes ea mente contraxerint, vt pecuniam credere alter voluerit. Huius ſolutionis autor eſt Corraſius *lib. 6. Miſcell. cap. 16*. Qua etiam de re videatur Iohannes Robertus *lib. 2. ſentent. iur. cap. 5*.

Ad §. *Si tibi*.

MVtuū cum re contrahatur, id recipiens vltra rē acceptam non obligatur: quod rectè ad pecuniam numeratam reſtringunt

Dd.

Dd.hic, cum in reb. fungibilibus aliud obtineat, *l. frumenti* 12. *l. oleo.* 23. *C. de vſur.* quod receptum ita eſt ratione incertitudinis precii, cuius dubia æſtimatio vſuram excludit. Nam valor & æſtimatio rerum fungibilium facilè mutantur non tantum ex deliciis hominum & ſingularibus motibus, *l. illud* 16. *de manumiſſis vindicta.* ſed & ratione locorum in quibus ſunt ſitæ & temporis contractuū, *l. ideo.* 3 *ff. de eo quod certo loco. l. precia.* 63 *ff. ad leg. falcid.* Dd. in *l.* 2. *C. de reſcind. vendit.* Cephalus *conſ.* 207. *n.* 15. *vol.* 2. Menoch. *conſil.* 229. *vol.* 2. qua tamen in re adhibenda eſt cautio digna homine Chriſtiano, ne labe vſurarum laborent contractus, *cap. conſuluit.* 10. *de vſuris* In quorum diiudicatione vt plurimum recurritur ad contrahentium conditionem, ita vt contractus male ſonantes ſi celebrentur ab his, qui conſueuerunt fœnerari, cenſendi ſint vſurarii, ſecus ſi ab iis, quibus vſuras committere antea fuit religio. Iaſon & Zaſius hic, *n.* 8. ne ſcilicet bonis viris de facili macula impingatur, quibus noſtræ leges multū deferunt, Gl. in *l. Titio fundus.* 72. *verb. actiones. de condit. & demonſtrat.* cum multis aliis, quæ allegat Tiraq. *de pœnis cauſa.* 51. *n.* 25. 26. Quæ qualitas cum vel maximè in iudice requiratur, factum inde eſt, vt iudex vir bonus in noſtro iure dicatur, *l. ſed ſi vnius.* 17. *§. ait prætor. ff. de iniuriis. l. continuus.* 137. *& ibi Zaſius*

§. cum

§.*30. Gl. 2. nu.* 1. Sic procul dubio legitima eſt hodiè à multis bonis & honeſtis viris celebrata cõuentio, qua cõſtituũtur cenſus annui in ratione quinque pro centenario, *auth. perpetua. & ibi Gl. in verb. iuſta. Cod: de ſacr. ſanct. Eccleſ.* vbi iuſta vocatur penſio, quæ viginti annis collecta rei æſtimationem continet, *Auth. de non alien. aut permutando res Eccleſiæ, §. quia verò Leonis. verſ. ſi vero alicuius. & ibi Gl. in verb. computari.* qua de re vide plura apud Brun. à Sole *quæſt. 2. & 3.* facit extrauagans Martini V. quæ incipit *Regimini. de empt. & vendition.* ad quam extrauagantem videatur Hotomannus *lib. 2. obſeruat. cap. 15.*

Cuius rei occaſione Baldus hic notabiliter quęrit, ſi idem tibi mutuo centum, quæ mihi in nundinis promittis reſtituere, & ſi non reddideris, promittis centum & quinquaginta; an valeat & ſuſtineri poſſit eiuſmodi promiſſio? Et tandem decidit, quod non, propter fraudem vſurarum euitandam, *l. qui teſtamentum. 27. infra. de probat.* niſi intereſſe ſtipulatoris per alias coniecturas appareat, *leg. traiectitiæ. 22. de act. & obligationibus.* præſertim cum vix alius aliquis actus, in quo ita de facili præſumatur ſimulatio inter prohibitos, ſicut in confeſſioe argumento *l. per diuerſas. 22. C. mandati.*

Ad

Ad §. *ſi fugitiuus.*

MOris fuit apud veteres vt ſeruis induſtriis aliquid pecuniarum committerent, quod peculium vocabant, quod liberrimè adminiſtrabant, niſi quod donare illud prohibeantur, *l. contra iuris. infra de pactis.* hi facta pecuniæ numeratione mutuum ab initio contrahunt, idque voluntate domini tacita vel expreſſa, quæ ſi deſit, aut etiam fuga reuocetur non rectè eiuſmodi pecunia alteri ab eis creditur, niſi conſumptione poſtea bona fide ſecuta: quod etiã hodie obtinet in inſtitoribus & alienarum rerũ procuratoribus, ita vt niſi conditionem ſtatũque ſuum in peius mutauerint, mutuando dominos obligare poſſint, Bart. & Dd. in *l. cum quis mihi aut Titio.* & in *l. ſi quis ſeruo. infra de ſolut.*

Cum autem hoc loco de ſeruis fugitiuis agatur, ſciendum eſt nõ omnem fugã quem fugitiuum facere, ſed eam demum, quæ certo & deſtinato conſilio ea mente ſuſcipitur, ne vlterius ſeruus ad dominum redeat, *l. quid ſit fugitiuus. 17. quæſt. infra, de ædil. edicto. l. fugiti. 2. 2 de verb. ſig*, ex quib. textibus apparet non omnem fugam eſſe culpabilẽ, ſed in triplici differẽtia conſtitutã. I. Ignominiosã, vt militis, quę valdè odioſa eſt, id quod vel ex pœna transfugis dictata apparet, quib. nullum tribuitur beneficium, adeò vt etiam poſtliminium

minium illis denegetur, *leg. item ei.* 14. *ff. ex quibus cauſis maiores. l. poſtliminium.* 19. *ff. de captiuis, & l. omne. 6. in princ. de re milit.* Imò proditorib. ęquiparantur & exautorati torquẽtur, cum non pro milite, ſed pro hoſte habeantur, *l. proditores. 7. de re milit.* & vbicunq; reperti fuerint, interficiantur, *l. eiuſdem 3. in fine. ff. ad l. Cornel. de ſicar.* quo in numero etiã illi habentur, qui capti ſunt, & cum redire poſſint, non redierunt: nam & illi pro tranſfugis habentur, *l. non omnes ſupra. §. qui captus. infra. de re milit.* quæ leges argumento ſunt, nulli homini moleſtiarum difficultate ſuam vocationem deſerendam eſſe: id quod etiam vox diuina teſtatur *Eccleſiaſt.* 10. Confide in Deo & mane in loco tuo. *Ierem.* 10. Item 1. *cap.* & 48. *cap.* Sicut etiam nulli iniuſſu Dei adeoque ſummi Imperatoris ex caſtris huius ærumnoſæ vitæ licet diſcedere; cum in Dei clientela ſimus & ſerui addictiſſimi, adeoque æquum ſit, vt in omnib. eius expectemus imperium, qui vt viuamus & ſimus, nobis cõtulit. Etſi enim mors omnium malorum finis ſit & requies miſeriarũ quietũque ab huius vitæ periculis receptaculũ, latè Tiraq. *de nobilit. cap. 31. n. 498. cum ſeqq.* vbi allegat Hiobum *cap.* 10. Eccleſiaſtem *cap.* 7. Cuius rei conſideratione multi ex ſapientibus mortem ſibi conſciuerunt, quo ſe huius vitæ miſeriis maturè ſubducerẽt, Tiraq.

in al-

in allegato loco. Tamen mortem accelerare nemini permiſſum eſt, ſed animam noſtræ cuſtodiæ & fidei commiſſam à corpore ſeiungere illi ſoli reſeruatum eſt, qui iſta inter ſe coniunxit. Vnde qui tàm ignaui & puſilli animi ſunt, vt propriæ necis inhumani autores fieri ſuſtineant, non lugentur, *l. liberorum. 11. ff. de his qui notantur infamia.* mali ſerui nominantur, *l. cum autem. 23 §. excipitur & ille. de ædi lit. edicto. l. bouem. 3. § mortis, d. tit.* memoria eorum damnatur, *l. cum hic ſtatus. 32. §. ſi maritus vxori. de donat. inter vir. & vxor.*

Si factum non peregerunt capite puniũtur *l. ſi quis aliquid. 38. in fine, de pœnis.* Chriſtiana ſepultura indigni iudicantur, *can. placuit. 23. quæſt. 5.*

Licet eorum, qui non quidem ob conſcientiam criminis, ſed vel tædio vitæ, aut pudore æris alieni, vel valetudinis (id eſt, morbi) alicuius impatientia, aut furore perciti mortem ſibi conſciuerunt, teſtamenta ſuſtineantur, *l. ſi quis. 6. §. nam eorum. ff. de iniuſto rupto, &c. l. 1. §. ſi ſibi. ad Syllan. l. 2. C. qui teſtam. fac. poſſunt.* & bona hæredibus ab inteſtato relinquantur, *l. eius. 34. de milit. teſtam. l. in fraudem. 45. §. 1. de iure fiſci. l. omne. 6. §. qui ſe vulnerauit. de re mil.* Modeſtinus Piſtoris *conſ. 10. vol. 2.* plura de hac re videantur apud Petrũ Placam *lib. 1. epitomẽ delictorum, cap. 23.* De ſalute vel morte æterna talium hominum quid iudican-

dicandũ ſit, legatur Chytræus in *libello de vita & morte æterna*, *Rubr. de ſubita & improuiſa morte*, §. *de his qui ſibi ipſis mortem conſciuerunt*, *mihi fol.* 86.*cum ſeqq.*

Alia fuga eſt, quæ poſt delictum ſuſcipitur & ſuſpicionem inducit, aliquando etiam delictum probat.

Tertia eſt, quæ fit cum cauſa & iſta nullam inducit ſuſpicionem, ita Bald. in *l.* 1. *columna.* 3. *C. de ædilit. edicto.* ſic hodiè, ſi qui ob cauſam perſecutionis cedere cogantur, tantum abeſt vt fugitiui dicātur, vt etiam laudem mereantur, *can. omnis.* 7. *quæſt. infra.*

Ad *l. Si à furioſo. XII. cum l. ſeq. Nam & ſi fur.*

CErti condictio ex mutuo furioſo vel alienam pecuniam numeranti non aliter competit, quã ſi pecunia conſumpta mutuũm ſit reconciliatum. Sicut enim ignorantibus actio acquiritur, ita & furioſis, qui pro ignorantib. habentur, nõ quod ex numeratione vel cõſumptione iſta actio oriatur, ſed quod a lege propter iſtã numeratione & ſubſecuta conſumptione & quadam æquitate detur hæc actio, quæ ideo non quidem natiua ſed datiua appellatur. Nam etſi ſummo iure mutuũ contrahi non poſſit à furioſo ob deficientem ſcilicet in eo conſenſũ, *l. non omnis.*

mnis. 19. *leg. ſi ego.* 18. *h. tit.* Benigna tamen interpretatione propter vtilitatem furioſi lex ei condictionem concedit, & mutuum ita facit conualeſcere, ſi ſequatur conſumptio quæ vim habet translationis dominii & conſenſus, textus eſt hic, & in *leg. ſi quis pro eo.* 57. *§. ſi nummos. de fideiuſſor.* Quæ benigna legis interpretatio ex quadam commiſeratione originem ſuam trahere videtur: cum enim ſolum hominem ex omnib. animantibus ſupremus ille artifex Deus Opt. Maximus delegerit, cui diuinam illam mẽtem qua ducimur, qua regimur, qua denique honeſtarum cogitationum curam habemus, conceſſerit, condolendum certè lex iudicauit ei, qui ab ea abalienatus, & ea propter vel mente captus, vel furioſus appellatur, *cap. fin. de ſucceſſ. ab inteſt. cap. ſicut de regularibus.* Hæc de mutuo a furioſo celebrato de teſtamentis ab eiuſmodi hominum genere conditis, quando quæritur inter eos, qui omnino intellectu deſtituti ſunt, adeoq; ad pecudum naturam proximè accedunt, & inter eos, qui teſte Iurecõſulto in *l. quod meo.* 18. *§.* 2. *de acquir. poſſ.* inumbratæ quietis sũt, diſtinguitur: hos enim teſtari poſſe placuit, illos non item, Dd. in *§. præterea. Inſtit. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* Iaſon in *l. furioſum n.* 2 *C. qui teſt. fac. poſſ.* De delictis eorũ reſponsũ eſt, quod nõ teneãtur, *l. infans.* 12. *ad l. Cornel. de ſicariis,*

ſicarius. l. illud. 3. de iniuriis. l. Diuus. 14. de off. præſid. quod etiam ad parricidia extenſum eſt, *l. pœna. 9. ff. ad l. Pompeiam. de parricid.* Cum enim furioſi nullus ſit conſenſus, *l. 2. C. de contrah. emp.* delicta vero abſque conſenſu committi non poſſint, *l. 1. ſi quadr. pauper. feciſſe dicatur.* conſectarium eſt furioſum pati quidem non tamen facere iniuriam, *d. l. illud.* qua de re vide plura apud Petr. Placam *lib. 1. epitomes delictorum cap. 29.* Cæterum probatio dementiæ & furoris propter præſumptionem pro vnoquoque militantem, quod ſit ſanæ mentis, eſt difficilis, Dd. præſertim Baldus in *l. furioſum. C. qui teſtam. facere poſſunt.* Neque enim quilibet, qui ſimplicis eſt & groſſi intellectus, nec ſtatim percipit omnia, quæ alii acuti & perſpicaces percipiunt, ſed is demum mente captus dicitur, qui prorſus caret intellectu, ratione & iudicio, & talia agit & dicit communiter, quæ ſolent fatui & mente alienati dicere & facere: puta quod lapides indifferenter & ſine ratione proiiceret, *l. 2. C. de Iudæis.* Gl. in *l. ſi cum dotem. §. ſi marit. verb. ferendus. ſolut. matr.* nec ſtatim probata eſt dementia, ſi ſemel vel bis id feciſſet, ſed requiritur quod vt plurimum & communiter ſeſe ita geſſerit, Doctores in *dicta l. furioſum.*

Nam ſi omnes actus ſingulorum hominũ conſiderarẽtur, vix eſt, vt interdum ſapientiam

etiam non reperiatur loqui fatua & pueri-
lia; neque tamen ideò cenſendus eſt fatuus.
Quilibet enim quandoque aſcendit moriæ
ramum. Decian. *conſ.* 127. *nu.* 29. 30. *cum ſeqq. vol 3.* Menoch. *conſ.* 82. *n.* 190. 191. *cum ſeqq. lib. 1.* Maſcard. *de probat. concluſ.* 39. 502. 824. 825.

§. *ſi ſeruus.*

DE materia ſeruorum communium hic agitur, quæ vt apud nos præſertim ſublata in Chriſtianis Rebuspubl. ſeruitute parũ frequens eſt, ita vix eſt, vt certa & vna regula cõprehendi poſſit, vnde Zaſius hic aliquot axiomatibus rem definit, quorum primum hoc eſt; ſi ſeruus duob. communis, cui libera eſt permiſſa adminiſtratio, alteri nũmos peculiares mutuauerit, actionẽ dominis per eum acquiri.

Alterum eſt, ſi ex pecunia duobus communi quid creditum eſt alteri pro parte datur actio, non quidem integrali, ſed numerali, cum ad numerum diuidatur pecunia, non pro corporibus, *l. 2. Cod. quando & quib. quarta pars l.* 10. Non ergo cũm Accurſio hic ſectio nummorum in partes integrales admittenda eſt, facit *l. non amplius.* 26. *de legat.* 1. cum quidem præcipuum in diuiſione ſit cõmoditas, cuius gratia deuenitur ad adiudicationem & æſtimationem, §. *familiæ. cũ ſeqq.*

L *Inſtit.*

Inſtit. de off. iudicis. quæ commoditas non ex eo ſolo æſtimanda eſt, quod res ſine corruptione diuidi non poteſt, ſed etiam ne facienda diuiſio alteri afferat iniuriam, *l. 1. C. communi diuid.* Quod notandum propter maleuolos cohæredes, qui liuore moti poſſeſſiones hæreditarias volunt diuidere per funes & perticas; cum tamen diuiſio debeat fieri groſſo modo per aſſignationem rerum integralium vel eorum æſtimationem, quod totum iudicis arbitrio committitur, *dict. l. non amplius. de legat. 1. §. quædam. Inſtit. de actionib.* quo interdum vni res, alteri pecunia aſſignatur, *l. ad officium. 3. C. communi diuid. §. pen. Inſtit. de off. iudic.*

Ad L. filiusfamil. XIV.

MVtuum deficit tripliciter.

I. Ratione rei, cuius defectus exempla habetur in *l. nam etſi fur. 13. ſupra hoc tit.*

II. Ratione diſſenſus, *leg. ſi ego. 18. l. ſi me & Titium. 32. infra. hoc tit.*

III. Ratione perſonæ, *l. ſi à furioſo. 12. ſupra hoc tit. l. Orphanotrophos. 30. C. de Epiſc. & Cleric.* Sic ſi quis mutuaret filiofamil. à quo cum in patris poteſtate conſtitutus ſit, mutuum recte nõ repetitur, Aſcanius Clementinus *in tract. de patria poteſt. effectu. 5. l. 1. & per tot. tit. ff. & C. ad Macedonianum.* Quæ vt plana ſunt, ita non abſque ratione dubitatur, quid iuris ſit, ſi filiusfam. iuramentũ de reddendo [illegible]

tatum

tuum pręſtiterit, & crebriori Dd. calculo receptum eſt. eiuſmodi filiumfam. nihilominus hanc exceptionē poſſe proponere non obſtante iuramento, quando agitur de magno præiudicio, per multa, quæ allegat Nicolaus Motius in *tract. de contractib. tit. de mutuo, cap. quomodo mutuum deficiat, n.* 18. Vbi multas limitationes ad hanc l. aſſignat, quomodo autem hæc l. noſtra concilianda ſit cum *l. ſed etſi.* 21. *§ ſi ab illo. infra ad Macedonian.* vide Gl. hic, & ibi recitatam Iohannis Gloſſatoris ſolutionem, quam magis receptam eſſe Zaſius hic aſſerit.

Ad *L. ſingularia XV.*

OMiſſis, quæ de vario huius l. intellectu adducunt interpretes, de quibus videatur Cagnolus hic *num.* 52. *cum ſeqq.* Nicolaus Motius in *tract. de contractib. tit. de mutuo, §. de naturalibus mutui. num.* 35. Sciendum eſt Sernoti intellectum reiectis aliorum ſententiis communiter approbari, vt ſenſus ſit Iureconſultum hic ponere quædam ſingularia præcepta in mutuo contra ſubſtantiam & regulam mutui, in quo licet non fiat de meo tuum, nihilominus mutuum contrahatur. Sicut itaque in mutuo quædam conſiderantur, quæ naturalia noſtri vocant, de quibus prolixè Motius *titulo de mutuo mihi folio* 88. ita quædam ſingula-

ria illi contractui aſſignãtur, vt quod in mutuo rei etiam non contrectatæ dominium adeoque facilius transferatur, *l. certi. condicti 9. §. fin. cum l. ſeq. ſupra hoc tit.*

Cum alioqui traditionibus & vſucapionibus dominia rerum, non etiam nudis pactis transferantur. *l. traditionibus. 20. C. de pact.* ſic hoc loco fingitur, pecuniam mihi à meo debitore primum, poſt à me ei, cui mutuare volo, numeratam, quorum neutrũ cum interuenerit interueniſſe iuris cenſura vtrumque dicitur. In quib. caſibus licet ſecũdum communem regulam mutuũ non ſubſiſtat, cum de meo tuum non fiat, *l. 2. §. appellata. ſupra. h. t.* Secundum tamen ſingularia præcepta contra naturam mutui mutuum contrahitur. Idq; propter celeritatem coniũgendarum actionũ, vt breuiter & celeriter, quæ in veritate inter partes agebantur, coniungantur, cum fruſtrà fiant per plura quæ poſſunt fieri per pauciora, Baldus in *l. vlt. C. de compenſat.* facit *l. dominus. de condict. indeb.* præſertim in contractu mutui, qui eſt frequentiſſimus, cuius frequentiæ intuitu quædam fiunt & permittuntur, quæ alias non fierent & permitterentur, *l. iuſto. 44. de vſucap. l. certe. 16 § 1. de precario.* Hinc eſt, quod leges noſtræ manus longæ meminerunt, *l. pecuniam. 79. de ſolut.* Item manus breuis, *l. licet 44. de iure dot.* à quo non eſt alienum, quando in Emporiis

Germaniæ

Germaniæ obærati à mercatoribus pecuniam mutuo petunt, & ab iis partim pecunias, partim pannos accipiunt, quos poſtea mercatores a debitore tanto precio diſtrahere non valente viliore recipiunt, qua de re vide Zaſium hic.

Quia vero hic fingitur pecunia mutuata tradita & recipienti mutuum retradita, quæſtionis eſt, an circa vnam & eandem rem duæ fictiones poſſint concurrere? Etſi aũt communis ſchola interpretum ſtatuat, fictiones duas & duo ſpecialia in materia quantũcunque fauorabili non poſſe concurrere, *l. fin. C. de dotis promiſſ.* nõ tamẽ deſunt, qui duas pluresve fictiones in eadem re ſaltem in acceſſionem aut conſequentiam admittant, *l. cum duæ ſpecies. 14. l. quod ſi filius. 11. de cap. & poſtl. reverſ.* cũ nihil obſtet, quo minus plura in eadem re concurrant ſuggerente æquitatis ratione aut populi vtilitate, quæ duæ cauſæ ſuſtinendis fictionibus ſufficiunt, *l. cum & poſtliminii. 6. C. de captiu. l. poſtliminium. 19. ff. d. tit. ſciendum. 18. ex quibus cauſis maiores.* Eſt itaq; primum ſpeciale in mutuo, vt contrahatur, licet de meo tuum non fiat, quod cum duob. exemplis hic Vlpianus explicet, interpretes duo ſpecialia in textu tradi exiſtimarunt.

Secundum etſi mutuũ non niſi inter conſentientes recte contrahatur *l. ſi me & Titiũ. ſupra h. tit.* ſi tamen furioſus, qui conſenſu

deſtituitur, *l. furioſi. 42. de R. I.* pecuniam numerauit certi condictione mutuum cõſumptione reconciliatum rectè repeti, *l. ſi a furioſo. 12. ſupra hoc tit.* Cum æquum ſit, meam pecuniam tibi mutuo & quidem effectualiter datam, imò abs te conſumptam, & ex hac conſumptione reconciliatam mihi reſtitui, *d. l. ſi me & Titium.*

Tertium habetur in *l. certi. 9. §. ſi nummos. ſupra hoc tit.* vbi ex numeratione pecuniæ nomine abſentis vel ignorantis facta ei actionem acquirimus, procul dubio propter frequentiã cõtractus mutui & ob eã inducta pecuniæ creditæ priuilegia, actuſque naturalis potentiam, ex quib. omnib. à iuris cõmunis regulis recedimus, quod adeò verum eſt, vt nec mandatum, nec ratificatio acquiratur, Cagnolus hic, *n. 66.* Dd. in *d. §. ſi nummos.*

Quartũ eſt de tutore, qui ex cauſa mutui poteſt ſe facere debitorẽ pupilli, & ex eadẽ ſibi ſoluere, *l. quoties. 10. §. nõ tãtũ. de admin. tut.*

Etſi autem Corraſius *lib. 6. Miſcell. c. 15.* auctor ſit ex rationib. ibi per eum aſſignatis, tutorem nullo caſu ſibi poſſe ſoluere: vera tamẽ eſt & recepta interpretũ ſentẽtia tutori permiſsũ quidẽ illi eſſe palã ſuo cũ pupillo contrahere, clam vero non eſſe, vt fraudes, quę interdũ cõmitti ſolent quantũ fieri poteſt, euitẽtur, per iura quę allegat Menochius *li. 3. de præſumpt. præſump. 80.* quo in loco etiã erudite

eruditè oſtédit, quando cla, quãdo occultè dicatur contrahere tutor, cuius rei etiã meminit Cagnolus h. l. n. 71. 72. *cum ſeqq.*

Plura ſubiiciũt Dd. ſpecialia pecuniç creditç, & recte: nã ſicut officiũ iudicis eſt latiſſimũ, *l. 1. de iuriſdict. omn. iud.* ita pecuniç vi etiã poteſtas latiſſimè patet, cũ illi omnia obediant, *Eccleſiaſtæ.* 10. vnde qui pecuniã habet, dicitur habere omnẽ rẽ, quã deſiderat. Bald. in *l. receptitia, de conſtit. pecun.* facit *l. 1. ff. de cont. alt. empt.* Hinc Gloſſa in *l. aduocati.* 14. *verb. vitam. C. de aduocat. diuerſ. iud.* pecuniã dicit eſſe vitã hominis, qua de re vide plura apud Tiraq. *de nob. c. 3. n. 5. c. 31. n.* 464. ſed reuera fallũtur, qui pecuniis intẽperãter inhiãt, in iiſq; omnem ſuã fiduciãcollocant, *can. virũ.* 47. *diſt. cã. cũ ordinaretur. cauſa. 1. quæſt. 1.* Præſertim cũ pecunia in iure diuino dicat vanitas & mẽdaciũ. Vanitas q nihil ſolidi & expreſſi boni cõtineat. Mẽdaciũ, q falſa quadã felicitatis imagine quietem & trãquillitatem animi pollicea tur, quam cõſtat nulli vnquam pſtitiſſe. Neq; vero omittẽda eſt Vlpiani hic & Africani in *l. qui negocia.* 34 *ff. mand.* cõciliatio: cũ hic in *d. l. qui negocia*, cõtrariũ ab Vlp. reſpondiſſe videat. Etiãſi aũt varie ad hũc nodũ afferãtur ſolutiões, tñ cõmodior eſt, quę ex vtriuſq; legis circũſtãtiis ſumit, vt q in *d. l qui negocia.* tractatur de abſentib. quorum alia & quidẽ deterior, quã pręſentiũ, eſt ratio, *l. fi. &*

§. *ſed & is. ff. de furt*. Præſentia enim efficit breuem illam manum, qua quo ab alio meo nomine & me præſente datur, à meipſo datum intelligitur, *l. quod ſtatu liber. de don. cauſa mortis.* Deinde in *d. l. qui negocia.* pecunia credebatur ſub vſuris, quæ nõ debentur ex mutuo citra ſtipulationis vinculum, *l. Titius. de præſcr verb.* Tertiò in *d. l. qui negocia.* per epiſtolam actum fuit, vt pecunia in creditum conuerteretur, quod in hac lege non eſt, qua de re videantur plura apud Charondam *lib. 3. πιθανῶν cap.* 14. Cuiac. *lib. 8 obſeruat. cap.* 8. a quo diſſentit Hotomannus *lib. 1. amabilium reſponſionum. cap.* 28. Robertum *lib. 2. ſentent. iur. cap.* 45. Molinæum *de vſuris. num.* 646. *quæſt.* 8.

Cæterum cum Vlpianus hic diſpoſitum in duabus perſonis etiam in vna recipiendum eſſe aſſerat non inconuenienter quęritur, num quod executor teſtamenti, qui certa quædam bona inter pauperes a ſe eligendos diſtribuere tenetur, poſſit vnum eligere, illique omnia bona dare, Bart. in *l. 1. de optione leg.* per illum textum tenet, quod nõ: niſi tamen eadem ſit in vno, quæ in duobus vel pluribus ratio, vt quando teſtator diceret, lego centũ non quidem pro pauperibus, ſed pro anima, quo caſu vnus poſſet eligi. Sicuti in ſimili dicimus numerum pluralem in vnoquoque procedere, ſi eadem ſit ratio, Canoniſtæ in *cap. 1. de rerum permutat.* Tiraq

de

de retract. gent §. 2. *Gl.* 21. *n.* 8. ſed quando teſtator pauperum meminit; tunc maior eſt pietas circa plures pauperes eligendos, quam circa vnum. Facit natura numeri pluralis, quæ non eſt vno indiuiduo contenta. *l. vbi numerus. de teſtib. cap. pluralis locutio. de R. I. in* 6. imo ſi numerus pluralis caperetur pro ſingulari, hoc nō fieret niſi per improprietatem, Menoch. *conſil.* 150. *n.* 51. *vol.* 2. Decian. *conſil.* 62. *n.* 3. *vol.* 2. Tiraq. *de retract. gentil.* 1. *Gloſſa* 21. *nu.* 8. plura de hac quæſtione legantur apud Cagnolum hic *n.* 34. 35. *&c.*

Neque verò aliena ab hoc loco eſt vſitata in vita communi quæſtio, qua quæritur, ſi tibi centum debeam, & ſcribam ad mercatorem Venetum, vt tibi iam in Italiam abeunti eos centum ſoluat; an ego liberer? Etſi autē ab eo ſolutionis futurę facta eſt promiſſio quę loco ſolutionis eſt, *l. fin. ff. ad l. Falcid. l. ibi, ſi ſoluerit aut promiſerit.* quæ ſolutio ab obligatione liberat, *l. ſi pupilli. de ſolut.* pręſertim cum creditor eiuſmodi promiſſionem pro ſolutione acceptauerit, cui ideo hoc imputandum eſt, argumento, *l. penult. C. de pact.* Verius tamen eſt, quod precedente iuſſu de ſoluendo ſi tantum ſit ſecuta promiſſio, non etiam ſolutio, in dubio non fiat nouatio, nec primus debitor liberetur, Dd. præſertim Socin. & Iaſon in *l. qui vſumfructum. de verb. obl* cum enim non nuda promiſſio, ſed ſolutio mer-

catori Veneto mãdata fuerit, non eſt, quod dicamus mandatum in forma ſpecifica non adimpletum nouationem induxiſſe, *l. diligenter. ff. mandati. c. cum dilecta. de reſcript.* qua de re vide plura apud Cagnol. hic *n.* 161. Eſt quippe creditor ſecundi mercatoris eam fidem ſecutus quam primus voluit, nempe vt ſecundus ſoluat, non etiam nudè promittat, nec eſt, quod mihi imputari poſſit, cum nũ animo nouãdi vel ab obligatione priore recedendi aſſenſus ſim, ſed recipiendi ſolutionem ſecundum mandatum debitoris acquieui: vt ita per acceſſionem alterius perſonæ mea conditio non quidem deterior, ſed melior fieri debuerit: qua de re videatur etiam Hippolytus de Marſiliis *ſingul.* 265. Nec obſtat, quod à pari dicantur procedere promiſſio & ſolutio; quia hoc indiſtinctè verum non, ſed multis rationib. eſt dubitabile, quas refert ex Decio Tiraq. *de retract. conuent. ad finem tit. n.* 42. 43. *cum multis ſeqq.* vbi etiã. *n.* 50. hanc quæſtionem in terminis, vt dici ſolet, terminantib. decidit dicens, ſi debitor, cui mandatum eſt a creditore, vt ſolueret alii ſuo creditori promiſit ſoluere illi altero creditori, nec tum tamen ſoluit, non liberatur per huiuſmodi promiſſionem, nec cenſetur facta fuiſſe delegatio, ſiue nouatio. *l. ſi debitorem. 21. de nouationibus.*

Quip-

Quippe ad quam inducendam plura ſunt neceſſaria. Primum promiſſio, quam neceſſe eſt fieri iuſſu vel mandato debitoris delegantis, *d. l. ſi debitorem. ibi; iuſſero. ff. de nouat.* facit text. in *l. vbi quis. 28. de conſt. pecun.* Secundo, quod promittens ſit debitor mãdantis, & quod promittat tanquam debitor delegantis, *l. delegare 11. de nouationibus.* Tertio, vt promiſſio muniatur ſtipulatione, *d. l. delegare & l. 1. C. de nouationibus.* quod tamen non obtinet in curia mercatorum, inter quos nudũ pactum & ſimplex promiſſio pro ſtipulatione eſt propter ſummam fidem, quæ in mercatoribus requiritur, Decianus, *conſil. 109. num. 54. volum. 2.* Quartò, quod loco ſeu vice primi debitoris fiat delegatio, id eſt, vt debitor delegatus promittat loco ſeu vice primi debitoris, *dict. l. delegare.* Quinto, quod delegatus ſe contineat intra fines mandati, neque formam commiſſionis excedat. Hæc quinque requiſita delegationis recenſentur per Cagnolum hic *num. 170. cum multis ſeqq.* Sæpè tamen ex certis quibuſdam conjecturis nouatio vel delegatio præſumitur, licet ea requiſita non interuenerint, qua de re vide Menochium *de præſumptione libro 3 præſumptionum. 44.* Maſcardus *de probationibus. vol. 2. conc. 4.*

Ad

Ad *l. Si ſocius XVI.*

Contracta omniũ bonorũ ſocietate ſtatim & ipſo iure ad inuicem transfertur dominium, *l. 1. in fine. cum l. ſeq. ff. pro ſocio*. Vnde vnus ex ſociis poteſt ille quidẽ mutuare pecuniam propriam aliis inuitis: pecuniam verò communem, nõ niſi pro parte ſua, cum ex natura ſocietatis ſit, vt vnus ſocius non poſſit diſponere de re communi niſi ad eum vſum ad quem deſtinata eſt, Menoch. *conſil. 87. n. 83. vol. 3.* qua de cauſa prohibetur ſocius inuito ſocio in domum communem inducere homines, cum quibus honeſtè conuerſari non poteſt, Gl. in *l. non aliter. 7. de vſu & habit* nec ſocius poteſt pignori dare partem ſocii, *l. vnica. C. ſi communis res pignori data ſit l. 2. C. commun. vtriusque iud. l. 1. de pignoribus.* etiamſi ſit ſocius omnium bonorum, *l. ſi vnus ex ſociis. 68. ff. pro ſocio.* Etſi autem de re communi nõ poteſt quis diſponere, niſi pro parte ſua: tamen hoc non obtinet in iis, quæ diuidi non poſſunt, vt dominus pro certa parte poteſt pro indiuiſo locare fundum, ſi vtiliter faciat; cum tale negocium pro parte expediri non poſſit, Decius hic *n. 7. per l. ſi is qui putans. 6. §. 1. ff. communi diuid.*

Fiſcus etiam rem, quam habet communẽ cũ alio, totam poteſt vendare inuito ſocio, *l. 2. C. de communi rer. alienat.*

Ad

Ad *l. cum filiusfamilias*. XVII.

Filiusfamilias nō poteſt mutuare, cum ſit in poteſtate patris, ideo ſi mutuaret alicui & extaret pecunia, nō cōtrahitur mutuum, nec competeret vtilis certi condictio, ſed vtilis rei vendicatio, Dd. hic præſertim Iaſon & Fulgoſius. Pecunia verò conſumpta mutuum per filiumfamil. factum reconciliatur, *l. rogaſſi. 11. cum l. ſeq. ſupra h. tit.* quo casu actio patri competit, quo abſente filiusfamilias poteſt implorare officium iudicis, ... tus eſt hic & in *l. ſi longius.* 18. §. *filiusfamil. ſupra de iudic.* qua de re vide plura apud Nicolaum Motium in *tract. de mutuo, tit. de perſonis, quæ mutuum dare poſſunt, n.* 24. 25. Qua in re multa conſideranda ſe offerunt. Primum ... eorumque ſtudiorum cauſa occupantur, quem vitæ ordinem, in quo nos à Deo conſtituti ſumus reliquis dignitate eſſe ſuperiorem, oſtendit Chriſtus præferens Mariam Marthæ, i. docendi & diſcendi labores occupationibus & negociis vitæ corporalis. Idque non ſine grauiſſima cauſa. ſicut enim nullum maius bonum eſt, quam communicatio veræ & neceſſariæ doctrinæ, ... *Daniel.* 20. & optimè merentur a genere humano, qui operam dant formandis iudiciis iuuentutis & excitandis ad virtutis decus ingeniis. *Daniel.* 12. Quandoque docere per ſe iit

ſe ſit ſummum & difficillimum opus, in quo nō ſolum eruditio, ſed etiam quædam ingenii dexteritas, doctrina aliarum quarundam artium facundia & exercitatio requiritur, *l. vnica. Cod. de profeſſoribus. qui in vrbe Conſtantinopolitana.* Franciſcus Balduinus in *præfatione ad Hoſpitalium de coniunctione hiſtoriæ & iuriſprudentiæ mihi fol.* 594. ibi; *iuris ciuilis ordinariam in ſcholis profeſſionem fateor rem talem tantamque eſſe, vt qui ei ſatisfecerit, præclarum quiddam perfeciſſe videatur, neque multi, qui id præſtare planè poſſint, Doctores eſſe dicantur.* Qua de cauſa etiam librarii, qui docere poſſunt, præferuntur inter eos, qui grauioribus conditionibus præſunt, *l. quibuſdam. 6. in princ. & fine, de iure immunit.* Et magiſtratus officium eſt diſquirere, & ad publicam docendi prouinciam euocare integræ opinionis viros & ad docendum idoneos, non etiam aſinos in cathedram ponere; quo caſu benè mūdum regi Cagnolus exiſtimat in *Rubr. proœmii Digeſt. n. 85. mihi fol. 55.*

Ita diſcere eſt officium Deo gratiſſimum, *Syracida. 6.* & peccant ſcholares non ſtudentes, ſed ſe & parentes ſumptibus exhaurientes, neque gaudent priuilegiis ſcholarium, *leg. vnica. & ibi Gloſſ. §. ſin autem. Cod. de ſtud. liberal. vrb. Romæ. libro* 11 *leg. ſi quis. 3. Cod. de domeſticis & protectoribus.* vbi vagabundi perdunt ſuum cingulum, cum indignum ſit,

ſit, deſides & a propriis muniis aberrantes in numero priuilegiatorum cenſeri. Et ſapientiores ex parentibus ad filios in officio retinendos hac cautela vtuntur, vt iis non quidem nimis exile, neque tamen ſuperfluum, ſed modicum aſſignent viaticum, quod ſummum eſt, plerumque cauſam pręber luxuriæ, Fulgoſius hic & Ripa in *cap. 1. n. 40. de iudic.* facit Gloſſ. in *can. prophetauit, cauſa 1. quæſt. 1.* Quos, ſi officium nō faciant, rectius facturos, ſi deſiſtant & parentes manibus ſumptibus non exhauriant, Cagnolus alleg. in *l. 1. num. 18. de inoffic. teſtam.* cum non ſint obtenturi, nec coronam victoriæ reportaturi, *leg. vnica. C. de collegiatis & nummulariis.* Cuius rei occaſione non inconuenienter quæritur, an pecuniæ, quas pater ſtudiorū cauſa filio ſubminiſtrauit, in legitimam imputentur & negatiue reſpondit Iureconſultus in *l. qui pater. 51. famil. erciſc.* quæ licet loquatur in filio emancipato: tamen ad filium in poteſtate exiſtentem recte extenditur, cum maior in eo ſit ratio, qui totum quod quærit, patri adiicit, quam in emancipato, qui quod acquirit, ſibi acquirit. Si tamen in prauos & flagitioſos vſus pecuniam abſumpſiſſet ceſſante cauſa ob qua pecunia data eſt, donatio reuocata videt̃, vt in legato ob cauſa dicitur *l. 2. & 3. de his quibus vt indignis.* Aut ſi filius aliunde haberet, vnde
cos

eos ſumptus ſuſtinere poſſet, quo caſu pater non de ſuo, ſed de filii patrimonio erogaſſe intelligitur, *l. fin. de petit. hæredit. l. Neſennius. de negoc. geſt.* & ibi Gloſſa. Præſertim cũ pater qui eſt legitimus adminiſtrator bonorum filii in dubio adminiſtratorio nomine facere præſumatur, *l. cum poſt. 44. §. 1. de admin. tutor l. poſt mortem. 5. §. 1. ff. quando ex facto tutoris.* Etsi enim pater filiam ſimpliciter dotando de bonis propriis in totum dotaſſe intelligatur, *l. fin. C. de dotis promiſſ.* tamen hoc ſpecialiter conſtitutum eſt in patre filiam ſimpliciter & voluntariè dotante, quem lex præſumit de proprio dotem cõſtituere, licet filia bona materna aut alterius generis habeat, tum dotis fauore, tum ſanguinis coniũctione, qua facilè donationis præſumptio inducitur, *l. quæ dotis. 34. ff. ſoluto matr. l. qui liberos. ff. de ritu nuptiar.* An autem pater ſicut ad filiam dotandam & elocandam, *l. qui liberos. ff. de ritu nupt.* ita etiam ad expenſas filio ſtudenti ſubminiſtrandas inuitus teneatur quæſtionis eſt. In qua non vſque adeò conueniunt interpretes, Decian. *conſil. 15. quæritur. num. 8. vol. 2.* affirmatiuè reſpondit, cum eas ab alio ſubminiſtratas ſoluere cogatur, *l. de bonis. 6. §. non ſolum. de Carboniano edicto. leg. Macedoniani. 5. C. ad Macedon. l. qui filium. 4. vbi Baldus ff. vbi pupil. educ. deb. l. ſed Iulianus. 9. §. proinde. ff. ad Macedon.* Quod adeò verum eſt, vt non

teneatur

teneatur poſt mortem patris conferre vel compenſare has expenſas ſtudii, neque etiã liberos *l. qui pater 51. & ibi Dd ff. famil. Herciſc. l. filiæ 18. C. de tit.* Quod ſi pater cœpit ſubminiſtrare expenſas pro filii ſtudio & moriatur antequam filius ſtudium perficiat, fratres de communi hæreditate obligatos eſſe ad tales expenſas continuandas, Decianus in 4. *conſ. 15. nu. 10.* exiſtimat per text. *l. ſi vnũ. 11. § idem ſcribit. ff. famil. Herciſc.* notat Gl. in *leg. quæ etiam originem. 3 §. fin. de muner. & honorib. l. Lucius. 21. § idem reſpondit. ad municip.* Corraſius in *l. filium quem. nu. 226. 227. C. famil. Herciſc.* de hac quæſtione ita ſentit, itaque diſſerit, vt dicat parentem nullo modo poſſe cogi ad eiuſmodi expenſas filio ſubminiſtrandas, cum neceſſarię non ſint, ſed voluntariæ ex facto patris qui filium literis operamdare voluit, procedentes, cui patri idcirco imputandum eſt, qui eam ſibi neceſſitatem impoſuit, *l. ſi fideiuſſor. 7. §. ſi neceſſaria. qui ſatiſdare cog.*

Eſt & hoc loco non omittenda hæc quæſtio, An pater, qui filio in Academiam ſtudiorum cauſa miſſo certam quandam pecuniæ ſummam quotannis dare conſtituit, ſi ea non ſufficiat ad augẽdum viaticum, præſertim vero pro libris emendis, teneatur? Et verius eſt, quod ſic: ſicut enim in dote conſtituẽda tenetur pater excedere legitimam,

[illegible]dos conſtituta non ſufficit ad inueniendum filiæ maritum ſecundum qualitatem perſonæ, text. eſt in *Auth. de reſtitutionibus, & ea, quæ parit, &c. §. quamobrem. & in auth.* [illegible] *quæ vbi Dd. C. communia de legat.* Ita etiam [illegible] ſe habet in cauſa ſtudiorum, quibus quantitatem ad ea deputatam pater augere tenetur, ſi ea non ſufficiat ſecundum conditionem, affectum, inclinationem & diligentiam ſtudentis filii; cum bonum ſit argumentum de cauſa dotis ad cauſam ſtudiorum, [illegible] *& ibi Dd. ſol. matr.* quæ non minus concernūt fauorem publicum, *l. 1. C. de ſtudiis liberal.* [illegible] *Rom. lib. 11. auth. habita. C. ne filius pro patre.* quorum fauore alias inducitur, vt quis vltra debitam portionem teneatur, *l. ex pollicitatione, 9. & l. pen. de pollicitat. l. hoc modo.* [illegible] *in fine. de* [illegible] *tondit. & demonſtrat. l. ſi duas. §. Philoſophi. ff. de ritu nupt.* qua de re videantur plura apud Decian. *conſil.* 28. *quod pater. nu.* 1. 2. 3. *&c. vol.* [illegible]

Ne tamen nimiis ſumptibus parentes exhauriantur à filiis, qui ſemper diſcunt & interdum nunquam ad frugem perueniunt, non abſq; ratione quæritur, quantum tempus ſit aſſignatum ſcholari ad ſtudendum & recipienda Doctoratus inſignia. Etſi autem quinquennii meminerit textus in *§. aliſq;* [illegible] *verſ. duab. aliis partibus. in proœmio Digeſt.* [illegible] *l. 1. §. aduocatos. verb. quoquo. de variis & extraord. cognit.* tamen Gloſſa communiter rece-

pt[illegible]

piam in *cap. cum ex eo.34. verb. ſeptennium. de elect. & elect. poteſt. in 6.* ſeptennium requirit: quod etiam eſt de intentione Cagnoli in *proœmio Digeſt. n. 226.* qua de re vide plura apud Cephalum *conſil. 232. tempus congruum. volumine ſecundo.*

Eſt etiam cum quæritur an ſcholaris conueniri poſſit in loco ſtudii pro his, quæ ibi non geſſit: quod innuere videtur, *l. 2. C. vbi de crim. &c.* Gl. *l. hæres abſens. 19. §. at ſi quis. verb. deberi. de iudi.* Speculator in *tit. de competentis iudi. ditione, verſ. quid ſi aliquis.* Sed verius eſt ſcholarem in loco ſtudii conueniri pro alibi geſtis non poſſe, ſiue de contractu, ſiue de delicto aut alio quopiam agatur, ita Cynus in *l. 2. C. de iuriſdict. omnium iud.* quem cum aliis allegat & ſequitur Cephalus *conſil. 83. dominus Alexander. n. 1. 2. &c. vol. 1.* Etſi autem quis eo locorum conueniri poſſit, vbi aſſiduam habet conuerſationem, *d. l. 2. C. vbi de crim. &c.* tamen conuerſatio ſcholarium in loco ſtudii non dicitur aſſidua, niſi per decennium fuerit continuata, *l. 2. Cod. de incolis. lib. 10.* Nam ſcholares donec ſunt in ſtudiis, dicuntur eſſe in via, & ideo nunquã contrahent domicilium illius loci, in quo ſtudiorum gratia verſantur, *l. Seia. 20. §. Pamphilo. de fundo inſtructo. l. quæſitis. in princ. de legat. 3.*

Sicuti etiam ſcholaris, qui per quinquennium abfuit a ciuitate ſtudii pro ſcholari am-

plius non habetur, *l. 2. C. de primicerio, lib. 12. l. 3. C. de domeſticis, &c. eodem lib.* Petrus Peckius in *tract. de iure ſiſtendi. cap. 5. n. 1. 2. 3. &c.* Nam qui tam diu abeſt, non præſumitur habere animum redeundi, & ideo ſcholaris eſſe deſinit quo ad illam matriculam, argumento *§. pauonum. Inſtit. de rer. diuiſ.* qua de re vide plura apud Maſcard. *de probat. vol. 3. concluſ. 1290 cum aliquot. ſeqq.*

Cæterum viaticum h. l. accipitur per expenſa itineris & moræ, quam diu quis eſt in ſtudio, *l. Titio. 36. ad municip. l. ſi longius. 18. §. ſi filius. ſupra. de iudic.* Extraordinarium vero auxilium intelligitur, pro officio iudicis, *l. 1. C. de libertis & eorum lib. l. 1. vbi Gl. verb. extraordinē. ff. de adminiſtr. tut. l. municipio. 12. in poſſeſſ. legator.* ibi extraordinario remedio opus erit, videlicet decreto prætoris, *l. pecuniæ verbum. 128. de verb. ſignificat. l. ſi cui. 92. de condit. & demonſtrat.* Quod æquitate ſuggerente iis ſubuenit, qui ſtricto iure alioqui ordinario actionis præſidio deſtituti ſunt, *l. qui per colluſionem. 51. §. fin. de act. empt. l. Quintus. 7. de annuis legatis.* Sed quæritur circa hoc, an filius imploratitius officium iudicis teneatur cauere de rato, quod ſcilicet pater ratum habiturus ſit. Sicuti igitur actione de dote, quæ eſt communis patri & filiæ, pater ſine conſenſu filiæ agere non poteſt, *l. 2. § voluntatem. ſol. matr.* & tamen patre abſente vel bannito

re-

recte agit, ſi caueat, quod pater ratificaturus ſit, *l. ſi cum dotem* 2 | *§ ſi patri. d. tit.* eodem modo filius etiam hoc caſu ad cautionem de rato præſtandam obligatus eſt, qua de re vide Iaſonem hic *n.* 45.

Neque vero omittendum eſt, quod hoc in loco occaſione filii iudicis officium abſente patre implorantis traditur, multa propter perſonę abſentiam induci in noſtro iure ſpecialia & reſtrictiones generaliū diſpoſitionum. Nam filiusfamil. qui ſine conſenſu patris in iudicio ſtare non poteſt, *l. fin. § in neceſſitate. C. de bon. quæ lib.* vt abſente patre agere nō prohibetur, tex. eſt hic & in *l. ſi lōgius* 18. *§. ſi filius de iudiciis.* ita licet vxorē ducere, ſpreta voluntate patris nequit, *l. 2. de ritu nuptiarum.* ſi tamen pater tribus annis ab hoſtibus captus vel alia ratione abſuerit, legitimas nuptias contrahit. *l. ſi nepos 9. § fin. cum l. ſeq. eodem tit.* Sic iudex filiam viro maturam nuptui dare, eidemque de bonis patris abſentis congruam dotem poteſt conſtituere, *l. profectitia. 5. §. fin. de iure dot.* Sic Abbas, qui res Eccleſiæ vel Monaſterii non conſentientibus Monachis quoquo modo concedere prohibetur, ſi deficiant Monachi, poterit ſuperioris accedente conſenſu nihilo minus diſponere, *Clement. 1. de reb. Eccleſiæ.* Sic abſens ratione ſtudii Theologici fructus ſui beneficii nihilominus percipit, *cap. licet vobis*

32.*de præbend.& dignitat.* cum inter omnes profeſſiones nullum ſit ſtudio Theologico fauorabilius, & habentes ſcientiam Theologicam inter omnes literatos mundi præferendi ſint.

Primum propter dignitatem profeſſionis, quæ eſt nobiliſſima ratiõe ſubiecti, quod eſt ipſe Deus, bonum quippe infinitum, Iohannes de Turre Cremata in *proœmio Digeſtorum.*

Secundò ratione certioris veritatis, quam habet non quidem ex naturali humanæ rationis, ſed ſuperno ſapientiæ increatę lumine, quæ errare nunquam poterit. 1. *Petri*, 1. *Iohan.*14. Deus eſt veritas.*can.ſi conſuetudinem* 5.*can.qui contenta. 6. diſtinct.* 8.

Tertiò ratione excellentioris & potioris finis, qui eſt agnitio Dei, ad quam ab initio conditi & poſtea redempti ſumus, adeoque æterna animarum ſalus; ad quam erudimur, & quidem præceptore filio Dei, in quo omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei ſũt abſcõditi.*Coloſſenſ.*2.qui apud Salomonẽ *Prouerb.*8.inquit, penes me eſt conſilium & ſucceſſus, intelligentia & executio. qua de re vide plura apud Chaſſanæum in *catalogo gloriæ mundi. parte* 10. *conſid.* 10.11.12.*&c.* Quod priuilegium *ca.licet vobis.* ad ius Canonicum eiuſque ſtudioſum eo nomine abſentem extenditur à Deciano *conſil.* 43.*ſi veritas, vol.* 1

cum

cũ illud etiã dicatur ius diuinũ, *c. nimis 30. de iureiur.* quippe quod ſemper iuri diuino conforme ſit aut ſaltem eſſe debeat *can. vlt. diſt. 9. can ſi Papa* [illegible] *40. in cap.* [illegible] *benefic.* & vtrumq; ſuſpectum ſit homo dirigendus Deum & bonum commune ſecundum facias regulas, vt notarunt in proemio Decretalium. vtrumq; ſalutem animarum & ipſarum periculum vitanda conſiderere, *cap. ex animarum periculo, de conſtit. cap. cum contingat, de iureiur. cap. vlt. de conſuet.* Plura de abſentiarum priuilegiis vide apud Camillum Galliteum *de verb ſignificat lib. 10. cap. 15.*

Ad *l. ſi ego. XVIII.*

DIſſenſus in ſpecie contractus contractũ & dominii tranſlationem impedit, cũ vtriuſque voluntas concurrere debeat *l. in omnibus. 56. de act. & obligat.* ſecuta tamen conſumptione contractus reconciliatur, & vt circa actionem indulgendam animus accipientis; ita circa acceptionem animus dantis conſideratur, qui quidem directe probari non poteſt; cum ſolus Deus ſit ſcrutator cordium, Gl. in *can. de occidendis. 7. verb. bonum cau. 23 quæſt. 5.* qua de vide prolixe diſſerentem Maſcard. *de probat. vol 1. concluſ. 94 cum multis ſeqq.* Vnde præſertim quando magna verborum obſcuritate contrahentes vtuntur, non raro dubitatur, quinam contra-

ctus inter eos celebratus ſit, vt quando ab altero contrahentium ad alterum dicitur; tolle, ſume hanc pecuniam: non abſque ratione quæritur, an donatio, vel mutuũ, vel cõmodatum celebratum fuerit? Et in tanta opinionũ varietate magis eſt, vt dicamus cõtractum donationis celebratum eſſe; cum pecunia ſcienter alteri ſit tradita, per *l. quod quis ſciens.* 50. *ff. de condict. indeb. l.* 1. *d. tit. l. cum per errorem.* 54. *de R. I. l. donari.* 29. *de donat.* cumque ſimus in dubio, non immerito contra dãtem interpretatio ſumitur, *l. veterib.* 40. *de pactis. c. contra eum. de R. I. in* 6. niſi tamen quædam coniecturæ diuerſum oſtendant, vt ſi pauperior locupleti dicat, ſume, tolle, &c quo caſu non præſumitur mutuum, ac multo quidem minus donatio, ſed depoſitum præſumendum eſt, Baldus in *l. incendium.* 11. *in fine. C. ſi certum petatur.* cum verba ad perſonam relata ſecundum ipſius qualitatem intelligenda ſint, Cagnol. in *proœmio. ff. §. itaq. nu.* 154. qua de re vide plura apud Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *cap.* 34. Maſcard. *de prob. vol.* 1. *concluſ.* 551.

Cæterùm dictio *quaſi*, qua h. l. Vlpianus vtitur, eſt aduerbium ſimilitudinis, *l. nec emptio.* 8. *de contrah. empt. l. cum hic ſtatus.* 33. *in fine principii. de donat. inter vir. & vxor.* & nota improprietatis *l. poſthumorum.* 12. *de iniuſto, rupto, &c. l. cum quaſi.* 30. *de fideicommiſſ. libert.* Quando

do tamen per modum cauſæ ponitur veritatem denotat. *l. fin. §. ſin autem. C. communia vtriusque iud. l. emancipatum. 7. de ſenatoribus. l. ſi inſtitorem. 29. infra h. tit.* & cum Iohannes Euangeliſta dicebat: Vidimus gloriā eius quaſi vnigeniti à patre, vt ita dictio *quaſi* per modum cauſę poſita veritatis: per modum ſimilitudinis ſit expreſſiua improprietatis. Auguſtinus Berous in *cap. cum dilecti. n. 42. de empt. & vendit.* Nicolaus Boerius *deciſ. 42. n. 29.* Tiraq. *de iure primigenii, quæſt. 33. n. 9. & 10.* Felinus in cap. *gratum. num. 12. de offic. & poteſt. iudic. delega.* vbi oſtēdit hanc vocula aliquādo importare ſimilitudinē, & etiā veritatē, per *l. adoptiones. 43. de adopt. l. itē corū. 6. in prin. quod cuiuſq; vniuerſ. nomine, &c. l. nec vitam. ff. de petit. hær. l. 3. in princ. de condict. cauſa data.*

Neque vero omittenda eſt conciliatio apparentis antinomiæ, quæ habetur hic & in *l. cum in corpus. 36. de acq. rer. dom.* vbi Iulian. ſcribit, ſi pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratia, tu eam quaſi creditam accipias, conſtat proprietatem à te tranſire, nec impedimēto eſſe, quod circa cauſam dandi diſſenſerimus: ſatis enim eſt in corpus, quod traditur, conſentire; cui contraria eiuſdem Iuliani ſententia hic ab Vlpiano relata videtur: quæ quidem difficultas multorum ingenia exercuit, & probabilior eſt Ludouici Charondę *li. 2. πιθανῶν, c. 2.* ſententia: vbi

vbi hunc nodum ſic diſſoluit, vt dicat, Iuliani ſententiã in *d.l. cum in corpus.* quippè ſita ſub tit. *de acqu. rer. dom.* de translatione dominii & pecuniæ proprietatis intelligendã cum nemo dubitet, pecuniã in ea facti ſpecie eius fieri, cui eſt tradita, & propter donationis & propter mutui ad translationẽ dominii habilem titulum: cum interim Vlpianus hic potiſſimum diſquirat, an in propoſita facti ſpecie accipiens condictione teneatur, quod niſi diſcuſſo genere cõtractus, v[illegible] eſt, vt rectè decidatur, Iulianus negat donationem eſſe, cum eo nomine accepta nõ ſit. Vlpianus mutuum hoc caſu non agnoſcit, cum alia dantis mens eſſet, neque tamẽ negat condictione teneri eũ qui accepit, quaſi ſecuta conſumptione mutuum ſit reconciliatum, licet accipiens doli exceptione v[illegible] poſſit, cum ſecundum voluntatem dantis nummi conſumpti ſint.

Ad *L. non omnis.* XIX.

NOn ſemper numerans accipientẽ obligat, ſed ita demum, quandò eo fine & intentione numeratio facta eſt, vt cõſeſtim ſubſequatur obligatio. Quid enim ſi mortis cauſa donetur pecunia, quę numeratur quidem, ſed non prius obligatur accipiens, quã ſubſecuto euentu, in quẽ fuit collata donatio; nã extinguitur donatio, ſi præmoriatur donatarius, *l. ſi filiofamil. 19. l. ſi tu. 26. l. Seia.* [illegible] *de d*[illegible]

de donat. cauſa mortis. quippè quæ refertur inter ſpecies vltimæ voluntatis, *l. cũ antiquitas. 28. C. de teſtam. l. vnica. § vlt. C. de cadu. toll.* & ideo quinque teſtes deſiderat, *l. fin. C. de mort. cauſa donat.* In eo tamen differt à teſtamento, quod per hoc hæreditas datur, per illam non item *l. hæreditas. 9. C. de pact. conuentis.* quanquam non vſque adeo inter ſe conueniant interpretes, an ad vltimas voluntates, an verò ad cõtractus propius accedat cauſa mortis facta donatio. Aretinus in *l. 2. n. 2. de legat. 1.* ad naturam cõtractus propius accedere exiſtimat ea ratione motus, quod vltima voluntas dependeat à ſola diſponentis voluntate, *l. inter veſtem. 35. de auro & arg. legat.* cũ interim donatio cauſa mortis à ſola donantis voluntate non pendeat, ſed partis præſentiam deſideret, per iura ab ipſo allegata. à quo diſſẽtit Hotomanus *lib. 8. obſeruat. cap. 18.* licet in facultate reuocandi videatur accedere ad naturam vltimæ voluntatis, Baldus *conſil. 108. Domina Iohanna, num. 4. lib. 3.* circa requiſita, quæ interuenire debent, contractui ſit propior, Aſcanius Clementinus in *tract. de patria poteſt. cap. 6. in 10. effectu, nu. 5.* addens hoc dictum fuiſſe originaliter Gloſſæ in §. 1. *verb. permiſerit. Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* quã ſententiã communem exiſtimat Didachus Couarruuias ad *Rubr. de teſtamentis parte 3. in princ. nu. 1. mihi fol. 638.* dicens idcirco in donatio-

natione cauſa mortis adhibēda eſſe ea, quæ in contractibus requiruntur, licet non omnia, quæ in conſtituenda vltima voluntate deſiderantur. Vſum huius quæſtionis oſtendit Tiraq. *de legib. connubialibus Gl. 5. verb. contracter. n. 75. cum ſeqq.* vbi prolixè diſputat an prohibitus contrahere cenſeatur etiam prohibitus donare mortis cauſa, & an donare mortis cauſa prohibeatur qui teſtari prohibetur.

Cæterùm cum textus hic non obſcurè innuat, ex ſola pœnitentia reuocari talem donationē, quod in donatione inter viuos non obtinet, quam conſtat ita temere reuocari non poſſe, *§. aliæ. Inſtit. de donat. l. vlt. C. de reuoc. donat.* cōmodè hoc loco quæritur, vnde nam deprehendatur facta inter viuos vel mortis cauſa donatio. Etſi autem donatio, in qua mortis fit mentio, in dubio videatur mortis cauſa facta, *l. Seia. 42. de mortis cauſa donat.* tamen a tali coniectura de facili receditur, vt intelligatur inter viuos facta donatio, *l. cū maritus. 29. ff. de pactis dotal.* quid enim ſi donator promiſerit ſe nunquam reuocaturum donationem, *l. vbi ita donator. 27. de mortis cauſa donat.* Decian. *conſ. 35. ſtantibus infrà ſcriptis nu. 40. vol. 2.* eo certe caſu inter viuos cenſetur facta donatio, licet ſit adiecta vocula mortis, quæ potius cauſam, quàm nomen contractus deſignat Iaſon hic *nu.*

Qui

Quid ſi inſerta ſit clauſula; *omni meliori modo*. Corneus *conſ.* 89. *col.* 7. *lib.* 4. Crauetta *conſil.* 214. *n.* 19. Quid ſi donator eam donationem omnino valere voluerit, Crauetta ibidem. Quid ſi iuramentum interuenerit, Ægidius Bellamera *conſ.* 319. *col.* 2. quem refert & ſequitur Crauetta *d. conſ.* 214. *in fine*. Quid ſi inſinuata ſit, quo caſu inter viuos donatio arguitur, cum in donatione cauſa mortis non requiratur inſinuatio, Iaſon *conſ.* 6. *col.* 3. *lib.* 3. Quid ſi facta ſit pro ſe & hæredibus, Decius hic *n.* 8. Cephalus *conſ.* 44. *Magnificus n.* 27. *vol.* 1. Vtilitas huius quæſtionis eſt maxima; nam ſi ſit donatio inter viuos, non poteſt poſtea reuocari; ſecus ſi eſt donatio cauſa mortis: qua de re videātur plura apud Iulium Clarum *lib.* 4. *ſentent.* §. *donatio. quæſt.* 4. Manticam *de coniect. vltim. vol. lib.* 1. *tit.* 13. *fol.* 20. Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 11. 35. 36. Michaelem Craſſum *lib. recept. ſentent.* §. *donatio mortis cauſa*. vbi de ea per 12. quæſtiones diſputat, & nouiſſime Fichardum *conſ.* 47. *vol.* 1.

Cum itaque obligationis effectus nõ extendatur vltra tacitam vel expreſſam agentis intentionem, conſequenter concluditur à Doctoribus hic, actus agentium vltra eorum intentionem non operari, qua de re prolixe Martinus ab Arpilcueta Doctor Nauarræus in *commentario de finib. human. actuum*,

actuum, ſuper can. cum miniſter. cauſa 23. quæſt. 5. quo in loco multis traditur ſemper actum diiudicari ex principali intentione agentium, tex. eſt hic & *l. rogaſti. 11. ſuprà hoc tit. l. qui iniuria. 55. infrà de furtis, l. verum eſt. 40. d. titu.* Sic ſtatutum cenſetur fauorabile aut odioſum ex principali intentione ſtatuentium, vt ſi principaliter fecerint in fauorem alicuius, licet conſequenter vergat in odium alterius, cenſeatur fauorabile, & è conuerſo Baldus in *l. cunctos populos. col. 10. verſ. ſed tu quæro de effectu. C. de ſumma trinitate, &c.* Sic ſtatutum excludens matrem à filii ſucceſſione. Odium quidem, imò etiam impietatem continere videtur, cum matrem a luctuoſa filii hæreditate excludat, *l. fin. C. de inſtitut. &c.* Sed reuera fauorabile eſt, cum in domus agnationis & familiæ, adeoque publicum fauorem ſit introductum, & Reip. interſit agnationes & familias ſaluas eſſe, *l. 1. §. quamuis. de ventre inſpic.* & lex Reip. vtilis interpretatione adiuuanda ſit *l. hoc modo. ff. de condit. & demonſtrat.* Sic ſi quæratur, an ædificium ſit extructum ad æmulationē alterius inſpicitur, quo animo principaliter faciat is, qui illud extruit, Baldus *conſil. 118. dicitur, quod opus, col. 1. lib. 2.* quando autem ad æmulationem quis ædificare credatur, iudicis arbitrio decernendum relinquitur, Menoch. *de arbitrar. iud. lib. 2. cent. 2. caſu. 150*
vbi

vbi iudicem ex qualitate facti informãdum aſſerit, & ad æmulationem factum dicit, ſi nullam ædificans ſentiat vtilitatem; vicino tamen detrimentum afferat. In dubio tamẽ ad æmulationem quid in fundo proprio factum non cenſetur, quã de re videatur Maſcard. *de probat vol. 2. concl.* [illegible].

Ad §. *ſi pupillus.*

Etſi pupillus ſine autoritate tutoris non poteſt transferre pecuniæ dominium ex cauſa mutui & ex cauſa liberationis, *l. obligari. 9. in princ. verſ. ſed credendo, & §. pupillus. cũ l. ſeq. de autor. tut. l. quod ſi forte. 14. §. fin. de ſolut.* ſecuta tamen pecuniæ conſumptione mutuum vel liberatio reconciliatur, ne quod in fauore pupilli indultum eſt, in eius odiũ retorqueatur, *l. quod fauore 6. C. de legib. l. non dubium. 14. C. de procuratorib.* Quod ſi is, qui à pupillo eiuſmodi pecuniam accepit, non quidem conſumpſit, ſed perdidit, perinde eſt, modo caſu abſque eius dolo & lata culpa interueniente amiſerit, Gl. hic in *verb. eius.* Reliqua ad hunc §. pertinentia ſuprà in præludiis materiæ contractuum præmiſſis circa finem, & ad *l. certi condictio. § quoniam. ſi tibi ſoluit.* explicata ſunt, ad ea breuitatis cauſa me remitto.

QVÆSTIO.

Si aurigæ dolium à me ſit traditũ, is autẽ amiſerit, quæritur an mihi teneatur de lu-

lio? De qua quæſtione vide in conſiliis illuſtrium virorum *conſ.25. vol.1.* Item Maſcardum *de probat. vol.1.* qui plerunq; tales quæſtiones tractat.

Ad *l. ſi tibi. XX.*

DOnatum vt retrò detur in creditum de rigore iuris neq; in donum tranſit, neque in mutuum; vtrumque tamen ex æquitate ſuſtinetur. Quo loco cum Iureconſultus dicat, in eiuſmodi propoſitionibus propriis verbis nos non ſemper vti notandum eſt, quando verba in proprio ſenſu nihil operantur, ad improprium intellectum trahenda eſſe, textus eſt hic, & in *l. ſi tàm anguſti. 13. de ſeruitut. tit generali.* Non enim ſemper vtimur ſtrictis vocabulis, nec ſcientiam Grammaticæ ſupra caput habemus; cum altior ſit anima & mens hominis, quam Grammatica, *l. 2. C. de conſtitut. pec. l. ſcrupuloſam. 11. C. de contrah & commit. l. quoniam indignum. 15. C. de teſtam.* ita Franciſcus Barienſis *de officio & poteſtate Capituli ſede vacante, prælu-dio 4 n. 9.* facit *cap. ad audientiam. 11. de reſcript.* & apoſtilla ſuper hoc cap. Sicut etiam iuri operam dantes artem boni & æqui illiuſq; notitiam, non artem & fucos verborũ profitentur, ab illiſque verſores potius, quam diſertiores ſermones deſiderantur, ita Vantius *de nullitate proceſſuum cap 1. n. 13. mihi fol.*

Vnde

Vnde verba prolata à legum cõditoribus ſeu à iuriſperitis intelliguntur ſecundum interpretationem legalem; cum interim prolata ab idiotis intelligantur ſecũdum quod in idiotam cadunt, *l. quod ſi nepotes. 6. vbi Gl. & Dd. de teſtam. tutela.*

Cæterum poſſeſſiua pronomina *Meum tuum, ſuum*, quamuis regulariter dominium ſignificent. *l. ſeruos. 71. de legat. 3.* pro ſubiecta tamen materia, in quaſi dominio verificantur Franciſcus Aretinus *in cap quia. de iudic.* aut in iis bonis, quæ cura tantum ac ſollicitudine adminiſtrationiſq; ratione ad quem pertinent, Bart. in *l. Q. Mutius. 29. §. argento. de auro & arg. leg. & per l. ſi pupillus. 6. §. item quæritur. de negoc. geſt.* Accurſ. *in l. 2. in princ. verb. & quia de orig. iuris.* Aut in iis etiam, quæ quamuis mea non eſſent, in meorum tamen numero habebã, aut vt mea tractabam, *l. nuper 83. §. 1. de legat. 3.*

Quia autem Iureconſultus hic ſubtilitatem benignitati vel rigorem æquitati opponit, ſciendum eſt ſubtilitatem à noſtratibus conſiderari dupliciter.

Primum ſubtilitas ſcrupuloſa nimirum & cauilloſa, quæ optimo iure damnatur & exploditur, Baldus & Dd. in *cap. dilecti. 6. de* [illegible] *l. ſed hæc nimium. 36. de excuſat. tutor. l. ſancimus. 7. C. ad Trebell.* vbi ſcribitur, nimiam ſubtilitatem tendere ad perniciem; item nimi-

am ſubtilitatem ludibrii inſtar obtinere, *l. vnica. & ibi Bald. C. de indicta viduitate, &c.* item ſubtilitatem nimiam vulnerare realitatem, idem Baldus in *Rubr. de poſtulatione Prælatorum.* item ob nimiam ſubtilitatem plerunq; perniciosè errari, *l. ſi ſeruum. 91. §. ſequitur. de verborum obl.* vbi Iaſon *n.* 4. inquit: nimiam ſubtilitatem à iudicibus nõ eſſe admittendam, per *l. ſicut. §. ſi debitori. quibus modis pignus vel hypoth. &c.* cum ſoleant iudicantium intellectus turbare, Decian. *conſil. 52. primo quod illa. n. 6. vol. 2.* Secundo ſubtilitas indagatrix & inueſtigatiua veritatis, quæ tantũ abeſt, vt ullam iuſtam reprehenſionem incurrat, vt laudem quoque eamque minimè vulgarem mereatur, *cap. Capellanus. 4. & ibi Dd. de ferijs.* Quæ cum ad eruendam veritatem directa ſit lectore vel pfeſſore eſt neceſſaria, Cagn. in *l. vnica. nu. 33. C. de ſententiis, quæ pro eo quod intereſt, &c.* qua de re videantur plura apud Matth. de Afflictis in *vſus feudor. part. 1. tit. de natura feudi. n. 25. cum ſeqq.*

Eſt & æquitatis in hac l. facta mentio, quæ eſt iuſtitia dulcore miſericordiæ temperata ſecundum Cyprianum, quem refert Ægid. Bellam. in *can. ius generale. diſtinct. 1. n. 3.* quæ cum pietate coniuncta nos æquales Deo facit, *l. imperialis. 28. C. de nupt.* ad quam etiam in caſibus in iure non expreſſis recurrẽdum eſt, *cap. fin. extra de tranſact.* facit *can. 2. 23. quæ.* 5.

5. vbi iudex ad officium pii parentis implendum obſtringitur; qua de re vide plura apud Decian. in apologia contra Alciatum, cap. 11. n. 6. & conſil. 52. vol. 2. n. 5. & 15. Tiraq. de pœn. cauſa 24. & de retract. gentilitio, §. 35. Gl. 1. num. 1. cum multis ſeqq. Zaſius in l. placuit. 8. C. de iudic. vbi ſeptem concluſionibus illam materiam examinat.

Ad L. quidam exiſtimauerunt. XXI.

Creditor partem debiti confeſſatam cogitur recipere, de reliqua illi liberũ eſt litigare, text. eſt hic & *l. permittendum. 8. ſupra. ſi pars hæredit. petatur.* Cuius rei occaſione quæritur; an ſolutionis partem offerens inuito creditore pro ea liberetur? Affirmare videtur Iulianus hic, negare Modeſtinus *in l. tutor. 41. §. 1. de vſuris.* quæ res diſtinctione fiet planior. Aut n. plura ſunt debita, & ſolutione vnius ſequitur eiuſdem reſpectu liberatio, cũ cogatur creditor vnum recipere, *l. 1. in quibus modis pignus, &c.* Aut eſt vnicum debitũ, quod ſi totũ eſt liquidũ, partẽ recipere creditor non cogitur, multò minus ſolutione partis debitor liberatur, *leg. tutor. 41. §. Luc. de vſuris*, cum particularis ſolutio multa afferat incommoda, *l. planè 13. ſupra familiæ herciſc.* Si vero vna tantummodo pars eſt liquida, liquidã de quadã æquitate creditor recipere

pere cogitur. qua de re vide Franciſcum Hotomanum *lib. illuſtr. quæſt. cap.* 20. vbi hanc rem aliter explicat.

Non raro etiam controuertitur inter creditorem & debitorem, hunc quidem pecunias debitas offerentem, illum oblatam ſolutionem accipere ea de cauſa recuſantem, quod neſcio quas vſuras damna & intereſſe à debitore exigit, & niſi ea omnia vna cum ſorte principali ſibi ſoluantur, neque ſortem recepturus, neque debitorem liberaturus eſt? Quo caſu vt ab vſuris & omni periculo liberetur creditor, ſi non ſit qui ſolutionem accipiat, hac cautela vtatur.

Primum ſortem offerat, eamq; integram & quidem verè ac realiter numeratam, & quidem purè ac liberè, ſine omni conditione & reſeruationũ inuolutione, & deponat in loco idoneo.

Secundo idoneo tempore; neque enim noctu pecuniam debitor rectè deponet, Gl. in *l. moræ.* 8. *ff. verb. lucis ſupra de feriis.* niſi fortaſſis debitor vltimo die termini conſtitutus moram euitare volens ita deponat, Felinus in *cap. conſului. de off. deleg. & in cap. ego ſunde iuretur.* vbi ait debitorem, qui iurauit debitum certo die ſoluere, non incidere in periurium, ſi media nocte ſequenti ſoluat.

Tertio parte citata, *l. acceptam.* 19. *& ibi Dd. C. de iniuriis.* qua de re videantur plura apud

pud Menoch. *de arbitr. iud. lib. 2. centur. 3. caſu. 232.*

Erit autem potius fauore debitoris, quam creditoris, textus hic creditorem ad recipiendam debiti confeſſi ſolutionem cogere videatur: ſciendum tamen eſt alia etiam in iure haberi, quibus inuitum quod confertur, vt quod pro alio inuito debitum rectè ſoluitur, adeoq; debitor etiam quam inuitus liberatur, *l. ſi debitor. ff. de ſolut.* Sic pro inuito ad mortem condemnato appellari poteſt, *l. non tantùm. ff. de appellat.* Sic medicus poteſt ægrotum inuitum & repugnantem curare, curationiſque impenſam & mercedem repoſcere, Gl. in *ſumma diſtinct.* 83. Speculator in *tit. de ſalario. §. poſtremò. verſ. quid ſi infirmus.*

Cæterum vt in contextu legis perſeueret explicatio, olim magis voluntate iudicum, quam legitima autoritate lites dirimebantur, *l. tanta. 2. §. mirabile. C. de veteri iure enucl.* Hodie regulariter partes litigantes non poſſunt cogi ad concordiam, textus eſt in *§. fin. in fin. in Authent. vt litigantes iurent, &c.* cum perſuaderi poſſit concordia, imperari non poſſit, Bald. in *l. ex ſtipulatione C. de ſententiis, &c.* Vnde diſſenſus non eſt cogendus, ſed perſuadendus, & remittat inuitum. Baldus in *l. 1. §. quies. de off. præfecti vrbi.*

Eo etiam caſu, quo offenſus inſtat ad

ſancta Dei Euangelia, ſe nunquam inituꝛum pacem cum iniuriante, vel nunquam habiturum cum eo concordiam; cum tali iuramentum iurans obſeruare nõ teneatur, imo obſeruando peccet, & vno anno a perceptione Euchariſtiæ abſtinere debeat, *can. qui ſacramento. 22. cauſ. quæſt. 4.* Speculator in *tit. de præparatione iudiciorum*, facit *cap. niſi eſſent. 21. de præbendis.*

Cauſas autem, quare iudex tranſactionibus ſtudere debeat cum inquirerent, has inueniebant quatuor.

I. Sumptus, quibus multi ſunt deducti ad ſummam paupertatem & coacti deſerere patriam, *l. ne in arbitris. §. ſin autem. C.* [illegible] *l. properandum. in princ. C. de iudic.* Sicut enim gerendis bellis; ita iuſtificandis negociis nulla pecunia ſufficit; quippe quę eroganda eſt pro viatico, *l. eum quem. 79. ff. de iud.* item aduocato, *l. quisquis. §. nemo. C. de poſtul. l. Diuus. 4. de variis & extraordin. cognit.* Etſi enim profeſſio ciuilis philoſophiæ ſpernere pecuniam videatur, *l. 1. §. proinde ff. de variis & extraord. cognit. & c. l. profeſſio. 6. C. de muneribus patrimon. lib. 11. l. in honoribus. 8. ff. de vacat. & excuſ. mun.* ibi; *vere philoſophantes*, [illegible] *69. ca. 12. quæst. 2. cap.* [illegible] *de magiſtris.* & ne aliquid exigatur, &c. Verum tamen eſt licitum eſſe, quod a patronis cauſarum accipitur; cum nulla iuſtior acquirendi ra-

Google

ditatio ſit, quam ex labore honeſtiſſimo, & ab iis, de quibus optimè meremur acceptũ honorarium. *can. non licet. can.* 11 *quæſt.* 3. *can. non ſane.* 14. *quæſt* 5. Vnde id, quod debetur aduocatis, neque merces, neque ſalarium, ſed honeſtiſſimo vocabulo modo honorarium, modo palmarium, modo ſolatium appellatur, *l. poſt duos* 15. *C. de aduocat. diuerſ. iud. l. laudabile tit. ſeq. l.* 2. *C. de præd. decur. lib.* 10. *l.* 3. *C. de agent. in rebus lib.* 12. Cum enim tempus & opera alienis negociis impenſa omnẽ aliter acquirendi facultatem abſorbeat, & noſtra negligenda ac ingenia tot vigiliis & ſudoribus non ſine modica vitæ iactura exercenda ſint, certe hoſtimento aliquo labores compenſandi ſunt, & ita operarius ſecũdum legem Euangelicam mercede ſua non priuandus, ne tamen in auaram & ſordidam negociationem & licitationem vitioſa & infami quadam metamorphoſi degeneret, quod leges honeſtiſſimo vocabulo dignatæ ſunt pauperioribus, viduis & pupillis, iis præſertim, quorum ſunt exiguæ facultates, ita vt vix alimentis ſufficiant; item ſacerdotibus nihil extorquendum, *Prouerbiorum* 14. Qui miſeretur pauperis beatus erit. *Eccleſiaſtæ* 6. Pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur benedictio tua. Gl. in *cap. ſtatutum.* 11. *§. inſuper. verb. pauperes. de reſcriptis. in* 6. Sed conſcientia cuiuſque mediocritatem

& modum ſeruare quemque erudiat, qua de re videatur Tiraq. *de nobilitate. cap. 29. nu. 28. 29. &c.*

Aliquid expenſarum cauſantur etiam ſportulæ, *toto tit. Cod. de ſportulis & ſumptibus in diuerſ. iudic. faciend.* qua de re Cuiacius *lib. 12. obſeruat. cap. 22.* Cagnol. in *l. diem functo. n. 32. 33. de off. aſſeſſ.* Item Notarii & ſcribæ, *l. 1. §. ſportulas. C. de off. præf. prætor. Africæ.* Item nunciis & viatoribus aliquid expendendū eſt, Zaſius in *l. properandum. n. 12. 13. cum ſeqq. C. de iudic.*

Secundo moleſtiæ, labores & curæ actorem exercent, dum forum rei ſequitur, & ita plerunq; in longe diſſitis locis litigare, *l. fin. C. vbi in rem actio. l. 2. C. de iuriſdict. omnium iudic.* & de idoneo aduocato ſibi prouidere, cum bona cauſa bono actore indigeat *l. ſi ſuperatus. 3. §. 1. ff. de pignorib.* Et de teſtibus, per quos intentionem ſuam probet, cogitare cogitur: de quib. omnibus ante actionē deliberandum eſt, *§. non autem. Auth. de hæredib. & falc. collat. 1.* Curæ etiā quandoq; fatigant actorem, quando iuramentum ſibi iniungi intelligit, ante cuius præſtationem vix eſt, vt non angatur, qui iurare iubetur per ſententiam, aut cum cauſæ iactura iuramentū recuſare ſuſtinet, cum multi metu diuini numinis vſque ad ſuperſtitionem ſint timidi, *l. quæ ſub conditione. 8. de condit. inſtit.* poſt

illud

illud præſtitum audiuntur varia, & quidem ſiniſtra hominum iudicia; cum iuramentū ſine labecula infamiæ vix præſtetur, *l. illud 25. §. 1. de conſti. pecun.* præſertim quando in propria perſona iurare tenemur, Henningus Goden *conſil. 85. mihi fol. 241.* & Koeſtertallis voluit Iureconſultus, quando dixit conditionem iuriſiurandi turpem eſſe, *l. nec dubitamus. 23. de condit. & demonſtrat.*

Quando item probationibus deſtituitur & exinde ſententiam contra ſe latam iri probabiliter metuit, *l. 2. l. alter. C. de probat.* Aut animaduertit, ſe in iudicem minus ſapientem incidiſſe, cuius ſententia iniuſta cum præuideri non poſſit, caſui fortuito non vſq; adeo abſurde Salyc. *in l. quæ fortuitis in fin. C. de pignor. act.* aſſcripſit per textum *l. 2. §. ſolet, de hær. vel act. vend. l. ſi per impudentiam. 51. de euictionibus.*

Quando item aduocati perfidiam expectat *l. 1. de præuaricatorib.* Paris de Puteo in *tract. de ſyndicatu, ſub Rubr. de exceſſib. aduocatorum.* Aut etiam negligentiam & inſcitiam, *toto tit. C. vt quæ deſunt aduocatis partium.*

Vt interim nihil dicā de calumniis, quibus actor Reum, Reus actorem deformat, quibus etſi multi ſaginantur: tamen non dubium eſt, homines modeſtos iis tanquam lugubri morſu & triſti carnificina conturbari, *Eccleſ. 7. Prouerb. 4.*

Tri-

Tertia cauſa eſt litium diuturnitas & rei potis iactura, de qua loquitur Iureconſultus in *l. etiam 15. ff. vt legat. nomine. ibi; nonnullas moras exercitatio iudicii habet.* cum ſæpenumero videamus lites immortales ſuperſtitibus mortalibus eſſe ſuperſtites, pleraſq; centeſimum annum ſuperaſſe, & quidem anus illa Ptholemais, cuius meminit Suidas, tanta animi peruicacia ac tam diu litigauit, vt animam prius efflauerit, quam a litibus deſereretur, Bodinus *de Repub. lib. 6. cap. 6. mihi fol. 756.*

Quarta cauſa diſſidiorum, quæ ex litibus iudicialibus oriuntur, atrocitas, quæ ... hominibus euitanda eſt: ſicut enim gaudium eſt animus liberior longæuitatis cauſa eſt, Næuizanus in *ſylua nupt. §. deueniendo igitur. n. 26.* & ad bene viuendum nihil magis conducibile, quã animi tranquillitas, quam vitæ totius ſuauiſſimum condimentum recte dixeris: ita vehementes animorum perturbationes ad extrema quæque præcipites agunt: cum odium illud, quo litigatores agitantur, nihil nobis ſuaue & iucundum eſſe patiatur.

Hæc partim incommoda, partim pericula conſiderant piæ & honeſtæ mentes, antequam iudicialibus controuerſiis ſe inuoluunt, ex quibus non omnes æque feliciter ſe expediunt, ſed ſæpenumero periculum

anima

animarum incurritur, vt de aduocatis, quod innumera animarum pericula incurrant, ſcribit Næuizanus in *ſylua nuptiali, li. 6. n. 14.* Sed ſecuti conſilium ſapientis omnia prius quã armis experiantur. De quibus non vſq; adeo inepte dicitur, quod interdum magis expediat ſemel vinci, quã ſæpius vincere, aut diutius litigare, vt loquitur experientia, & non obſcure innuit textus in *l. minoribus. 6. ff de minor.* Gl. in *cap. pen. extra de empt. & vend. verb. reſtituerem.* quæ tradit eum magnum commodum conſequi, qui à lite recedit. Hinc commendantur in iure qui lites in tantum execrantur, vt propterea malint ius ſuũ indiſcuſſum relinquere, *cap. nihil. 2. vbi Panor. & Felin. in princ. de præſcript. Et Eccleſiaſt. 28.* non fruſtra præcipitur: Abſtine à lite, & minues peccatum. Qua de re videantur plura apud Tiraq. *de retract. gentil. § 8. Gl. 7. num. 20. mihi fol. 277.* Næuizanum in *ſylua nupt. lib. 6. n. 6.* Quæ omnia eo maturiori conſilio perpendenda ſunt, quo magis dubius eſt litis euentus, *l. quod debetur. 5. ff. de pecul. l. 1. ff. de tranſact.* etiam in optima cauſa, *Iud. 20* Vnde Speculator in *tit. de aduocatis, §. nunc tractemus.* caueat, inquit, aduocatus, ne clientulo victoriam repromittat, cùm ea non ſit in aduocato, ſed in iudice. *can. ſi quem pænituerit. 8. §. accuſatorum. verſ. nam facti. c. 2. quæſt. 3. l. 1. C. de abolitionib.* nec ſemper laborem ſequatur effectus,

ca

cap. niſi cum & pridem. 10. §. quippe. de renunc. Henningus Göden *conſil. vlt. quæſt. 10. in fine* quia ſæpe vitium eſt materiæ, non artificis, *l. ſi ſeruus. 23. §. ſi calicem. ff. ad l. Aquiliam* nec debet quis ſe certum aſſerere, vbi certus eſſe non poteſt, *cap. cum contingat. 24. in fine. de reſcript.* faciunt ea, quæ habentur. 2. *Reg. 11. Prouerb. 21. Iudic. 1.* qua de re vide plura apud Iohannem Robertum *lib. 3. ſententiar iuris cap. 25.*

Occaſione eorum, quæ in fine huius l. de dirimendis litibus dicuntur, non inconuenienter quæritur, quib. nam modis litigatorum controuerſiæ finiantur. Et Iureconſultus in *l. tranſacta. 229. cum l. ſeq. de verb. ſign.* tres modos enumerat.

Primum ſententiam & rem iudicatam. *l. 1. ff. de re iudic.* quæ pro veritate accipitur, *l. ingenuum. 25. de ſtatu hominum.* ſiue ea a iudice feratur, *d. l. 1.* ſiue ab arbitris. *l. 1. l. 3. §. 1. l. idem Pompon. 14. § recepiſſe. de recept. arbitris,* ad quos non quidem differendarum, ſed tollendarum litium cauſa recurri ſolet, *l. quãuis. 42. d. tit.* qui modus ſicut valde periculoſus eſt, cũ multi condemnentur, qui abſolui debebãt, *l. denunciaſſe. 17. in fine. ad l. Iul. de adulter* ita non vſque adeo tutum eſt à ſententia & re iudicata ſemel obtenta recedere; cum plurimũ interſit, vtrum ex cauſa iudicati mihi debeas pecuniam, an ex mutuo; cum ex illa cau-

ſa

ſa pignora ſtatim capi poſſint & diſtrahi, *l. 4 §. ſi ex conuentione. de re iud.* ex hac vero petendaſit conditione certi pecunia & plerumq; diu litigandum, antequam Reus damnetur *l. minor. 4. ff. de minor.* qua de re vide plura apud Zaſ. in *l. ſi non obtulit. 4. §. ſi ex conuentione. n. 2. & 5 ff. de re iud.* & dixi ad *l. certi condictio. 9. ſupra h. tit.*

Secundo tranſactionem, *l. ſi quis in conſcribendo. 51. C. de Epiſc. & Cler.* cuius exceptio ea propter litis finitæ & litis ingreſſum impediens dicitur, *l. eleganter. 2. §. ſi quis poſſ. de dolo. & ind. c. ap. 1. de litis conteſtat. in 6.* quæ quidē litium finiendarum cauſa inita tranſactio, ſicut ob enormem etiam læſionem non retractatur, modo dolus non interuenerit, Mynſinger. *centur. 6. cap. 91.* ita qui ex ea agit, neceſſe habet probare, ſe omnia pro ſua parte tranſactionis placita præſtitiſſe, Maſcardus *de probationibus. volumine 3. concluſ. 187.* Modeſtinus Piſtoris *conſil. 2. tomo 1. quæſt. 4.*

Tertio præſcriptionem, quam licet impiorum præſidium Imperator dixerit in *Auth. vt Eccleſia Romana, &c. §. habeat itaque.* quippe quæ repugnet naturali æquitati, Gl. in *l. 1. verb. non iniuria de negot. geſtis*, adeo, vt quæ ſe tempore defendit, circumſcriptione vti videatur, *§. volumus. Auth. de his qui ingr. ad appell.* Andreas de Iſernia in *cap. ſancimus in*- *ſeudis*

lumna 1. *quo tĕpore miles.* Si tamen iuſto titulo legitima origine & bona fide munita ſit, recte allegatur, Fichardus *conſ.* 48. *vol.* 1. attestante id etiam iure diuino *Iudicum* 11.

Quibus quarto loco addi poteſt confeſſio in iure, hoc eſt, in loco iudicii facta: nam & ea controuerſiis litigatorum finem imponit, & vlterius ea facta nihil quæritur, *l. poſt rem iudicatam.* 56. *de re iud.* qui enim confitetur ſua quodammodo ſententia damnatur & exinde pro iudicato habetur, *l.* 1. *l. Iulianus.* 3. *de confeſſis.* Vnde vulgatum illud: nullas eſſe partes iudicis in confeſſum niſi executionem, *l. proinde* 2. §. *fin. ad l. Aquiliam.*

Item quinto loco iusiurandum, quod maximum expediendarum litium remedium eſt, *l.* 1. *de iureiur. ad Hebræos,* 6.

Neq; vero omittenda eſt hoc loco diſquiſitio, cum iudicis officio incumbat lites dirimere, quod vix eſt vt recte præſtetur ab eo, qui nondum factis vel publicatis probationibus ignorat, vtra pars bonam vel malam cauſam foueat; quomodo iudex ex causa partis litigantis bonam vel malam cauſam poſſit deprehendere, adeoq; in dirimendis litibus ſine alterius partis iniuria cauſis procedere: & in defectu ſtrictarum & apertiorum probationum ad coniecturas recurritur, vt ſi litigator omnes aduocatos pre-

condu-

rem[illegible] & nullum pro aduerſa parte reliquerit, *l. pro[illegible]dum. 7. C. de poſtul.* vel quādo iudicium ſubterfugit, nam tunc etiam cauſæ diffidere creditur, *can. Chriſtianis. 9. in fin. can 11. quæſt. 1. cap. nullus. 3. de præſumpt.* vel quando occultat iura & inſtrumenta, idque quod poterat inſtrumentis probare, ſtudiur probare teſtibus, & quidem viuentibus in remotiſſimis regionibus, Afflictus *deciſ. 33. n. 2.* Grauet. *conſil. 178. n. 5.* Quando denique differunt mouere litem, donec mortuis omnibus, quibus compertum erat negocium faciliorem poteſt ſperare victoriam, vt qui ſuo debitore petere poterat, illo vita defuncto ab hæredibus probabilem ignorantiam habentibus petiit, Gl. in *Clement. ſæpe. §. quia. in verb. nō obſtante. de verb. ſignific.* quare videantur plura apud Maſcardum *de probat. vol. 1. concluſ. 275.* Menoc *de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 91.*

Ad *L. Vinum. XXII.*

COmmendatiſſima eſt hęc lex partim ab vtilitate, partim a difficultate orta ex iuribus in hac materia ſibi inuicem contrariantibus. Argumentum autem legis hoc eſt. In æſtimatione vini mutuo dati, ſi de die, quo vinum reddi debuit, conuentum eſt à contrahentibus, eius temporis æſtimatio ducēda eſt; alioqui quanti tunc fuiſſet cum peteretur, id eſt, tempore litis conteſtatæ.

Eandem

Eandem diſtinctionem circa loci æſtimationem Iulianus hic adhibendam ſtatuit, vt ſcilicet loci deſignati æſtimationem iudex ſequatur. ſin circa locum contrahentes nihil definiuerint, tanti vinum, quanti eo loco fuerit, vbi iudicium exercetur, æſtimandum eſt.

Etſi enim æſtimatio videbatur redigenda vel ad tempus contractus, *l. cum quis* 20. *de act. & obl.* vel ad tempus moræ, *l. quod te.* 5. *ſupra hoc tit.* facit *l. 3. §. ſi per venditorē. de act. empt.* Quia tamē in iudiciis ſtricti iuris, vt in mutuo, tempus litis conteſtatæ omnino attenditur, *l. 3. §. in hac. ff. commod.* magis eſt, vt ab eo tempore omnis cauſa actori reſtituatur, *l. 3. infr. de vſuris.*

Quo in loco primum ſe offert explicandum, quod vinum mutuo datum in eadem ſubſtantia videtur repeti; cum tamen non eadem ſpecies & ſubſtantia, ſed res in eodem genere eademq; qualitate reſtituenda ſit, *l. 2 ſup. hoc tit.* quod facit ad notabilem in actu practico quæſtionem de eo, qui in libello petiit, aduerſarium ſibi condemnari ad reſtituendum idem, quod mutuauit, nam talis libellus per relationem ad genus, non ad eandem ſpeciem ſuſtinendus eſt, cum verba libelli ſecundum libellantis intentionē interpretanda, imo impropriãda, non etiam cauillanda ſint, vt ſaluetur libellus, neq;

Re-

Reo detur quærendorum ſubterfugiorum occaſio, *l. ſi quis intentione. 66. de iudic.* Decian. *conſil. 54. iuri & veritati n. 44. vol. 2.* Cæpolla *cautela 106.* Henningus Goden *conſil. 40. mihi fol. 141.* Caſtrenſ. in *l. ſolemus. 61. per illũ textum. n. 3. ff. d. tit. de iudic.* Etiamſi autẽ hæc loquendi phraſis, qua Iulianus hic vtitur, videatur aliquo modo degenerare à ſolita Iuriſconſultorum elegantia & ſermonis lepore Cagnolus hic ſtatim in principio: tamen alibi etiam a Iuriſconſultis vſurpatur, vt quãdo quid per viam iudicii poſcitur, repoſcitur vel repetitur, *l. ſi ſine. §. 1. rem ratam hab. l. dedi. §. Neratius. de condict. cauſa data.*

Cæterum, per iudicem vinum petitum eſſe dicitur, cum præmium legale perdat qui ſibi propria autoritate ius dicere præſumit. Dd. in *l. ſi ab hoſtib. §. ſi vir. ſol. matr.* per textum *l. interdum. 2. §. qui furem. de furtis.* refert & ſequitur Rolandus a Valle in *tract. de lucro dotis, quæſt. 63. n. 2.* Non eſt enim conſultũ concedere ſingulis, quod publice per Magiſtratum debet fieri, *l. non eſt ſingulis. 137. de R. I.* Vnde non tantum legib. ſacroſancta eſt iudicis ad priuatos autoritas, adeo, vt citra pœnam ipſi irreuerenter loqui non liceat, Paris de Put. *in tract. de Syndicatu ſub Rubr. de libelli formatione, §. notorium iudicii. n. 11. & 14. per textum. l. iudici. 42. ff. de iniuriis.* Verum etiam peculiaribus prærogatiuis gaudet & O priuilegiis,

priuilegiis, vt quod adminiſtris iuris vel Magi (ſiue ſagæ) neutiquam nocere poſſint, arcano & mirabili & à iudicibus optime recolendo Dei præpotentis iudicio, qua de re vide Bodin. *de Dæmonomania, li.* 4. *mihi fol.* 271. Etſi autem vinum quidem non in libello hic ab actore petitur; tamen Reus ad præſtandam vini æſtimationem adeoque in aliud, quam petitum fuit, condemnatur, cum quidem regulariter ſententiam libello conformem eſſe oporteat: adeo vt inſanire dicatur iudex, qui ſuper alio, quam petitum fuit, pronunciat, *l. vt fundus.* 18. *ff. commun. diuid. l. fin. Cod. de fideicommiſ. libert. Clement. ſæpe. verſ. verum quia. de verb. ſignificat. cap. licet Heli.* 31. *de Simonia.* Sed interdum propter neceſſitaté tolleratur ſententia, qua in aliud quam petitum fuit, iudex condemnet, vt hoc loco cum vinum per debitorem conſumptum præſtari nequeat, eius æſtimationem iudex exolui iubet, *l. qui deceſſerit.* 4. *qui ſatisd. cog. l. fin. C de ſententia quæ ſine certa quantit. leg. promiſſor.* 24. *de conſtit. pecun.* Quæ res incitamento ſit Aduocatis, vt libelli concluſionem cautius concipiant, adeoque in caſu huius legis ad vinum & quanti plurimi valuit, prout in executione ſententiæ liquidabitur, agant, quemadmodum boni Practici petere ſolent, Cagnol. hic *num.* 29. quo caſu in æſtimatione adiudicanda iudex eo minus dubitabit,

by Google

bitabit, Speculator in tit. *de oblat. & ſolut.* §. *ſequitur, colum. antepenult. per textum. leg. ſi ſeruum. 91. §. fin. & ibi Bal. in verb. poſſit. de verb. obligat.* cum æſtimatio recte attendatur, vbi res deſinit vel conſumitur, *leg. ſi vſusfructus. 6. in fin. de vſu & vſufr. leg.* Burſatus *conſil. 99. numero 36.*

Poterit itaque iudex in illis & eiuſmodi caſibus à petitione libelli diuertere & aliter Reum condemnare ſecundum merita proceſſus, Matth. de Afflict. *cap. 1. num. 71. verſ. quod verum eſt de milite Vaſallo qui contumax eſt.* Qua de re videatur Iaſon hic, qui refert tredecim fallentias ad hanc regulam. Quibus hæc & addenda eſt, quod ea locum non habeat in caſu *leg. 3. §. hæres. ff. commodati.* ſecundum Marianum Socinum iuniorem in *leg. 4. §. Cato. num. 62. de verb obl.* Item quod hæc regula fallit in his caſibus, in quibus iudex poteſt augere vel minuere pœnam, Bart. in *l. quid ergo. §. pœna grauior. n. 9. de his qui notantur infamia* Quia vero non raro plus petitur, & minus probatur, eo caſu ſic eſt concipienda ſententia, vt ſuper probatis tantum fiat condemnatio, & in non probatis fiat abſolutio, Bald. in *l. 1. C. de litis conteſt. per l. ſi conſtante. 25. §. ſi bona. ff. ſ. l. matr.* Bart. in *l. ſcire debemus. in fin. ff. de verb. oblig.*

Vt autem ea, quæ de æſtimatione hic traduntur, facilius intelligantur, ſciendum eſt,

bonitatem mercium dupliciter conſidera-ri.

I. Intrinſecè, vt cum bonitas intrinſeca, ineſt vino à natura, vt dulcedo.

II. Extrinſecè, vt cum bonitas extrinſeca in valore & æſtimatione, adeoque potius in hominum commercio conſiſtit, quam natura. Hæc bonitas extrinſeca in *l. ſi ſterilis. 2 §. cum per venditorem. in fin. de act. empt.* appellatur vtilitas circa rem quæ venit in contractu emptionis & venditionis: quando ſcilicet quis emit certam rem, eamque principaliter appreciat reſpectu bonitatis extrinſecæ; cum res tantum valeat, quanti vendi poteſt, *l. precia. rerum. 63. in princ. ad l. Falcid. l. mortis cauſa. capimus.* 18. *in fine. & ibi Gl. de donation. cauſa mortis.* vel quod tanti vendatur quanti eſt eius intrinſeca bonitas, ita vt qualitas precii reguletur à bonitate intrinſeca; cum pluris & minoris pro qualitate bonitatis vnaquæque res vendi conſueuerit: vel quod pluris vendatur, propter raritatem mercium, quæ in contractum deducuntur, & loci diuerſitatem, cum non tantidem oleum vendatur Romæ, vt in Hiſpania, *d. l. precia. §. fin. & l. ideo. 4. ff. de eo quod certo loco.*

Ad hanc extrinſecam rei æſtimationem faciendam attenditur locus ſolutioni deſti-natu-

natus, text. eſt hic & *l. fin. de condict. tritic ar.* facit *l. contraxiſſe de act. & obl.* Vnde vino in Turingia vendito & in Saxonia exhibendo, ſi agatur ad reſciſſionem contractus ex *l. 2. C. de reſcind. vend.* debet attendi æſtimatio vini in Saxonia, vbi vinum dari debet.

Neque vero æſtimatio momentanea, & quæ breui tempore durauit in conſiderationem veniet, niſi contra moroſum, contra quem vtpote contumacem, cum non vtamur æquitate, ſed rigore, magis eſt vt cum Alexandro in *l. preciarerum. 63. ff. ad l. Falc.* dicamus iſtam momentaneam æſtimationem conſiderari, *l. h. cum. 3. §. condemnatio. de tabul. exhib. l. 2. C. de poſthum. hær. inſtit.* Omittendum hoc loco non eſt, quod de tempore ad locum rectè nos argumentari Iureconſ. aſſerit hic, & in *l. ita ſtipulatus ſum.* 115. *de verb. obl. & in l. miles. ita.* 42. *de mil. teſtam. l. preciarerum. ff. ad l. Falcid.* quod tamen verum eſt, ſtante identitate rationis, Cagnolus hic, *num.* 48. qua diſcrepante, adeoque ceſſante ratione ceſſat & argumentatio. Sic teſtis, qui excuſatur, dicens ſe non recordari temporis, non excuſatur dicens ſe non recordari locorum; cum non ita exactè retineamus memoriam temporis, vt locorum, Gl. pen. *verb. per teſtium in l. 3. C. ſi minor ſe maiorem dixerit.* Quippe quæ non ſolum facile retinentur, ſed etiam per quæ nobis recordatio eorum quæ ibi

egimus aut cogitauimus, ſubiicitur, *can.* *let.9. diſtinct.*81.

Sic etſi tempore feriato in honorem D debitor fugitiuus capi poſſit, Gl. in *l. dies f ſtos.*10, *Cod. de feriis.* ſecus tamen eſt in loco ſ cro, puta Eccleſia, ad quam confugiens e iam delinquens ab ea extrahi non poteſt, *præſenti.*5.*C. de his qui ad Eccleſiam confug. can. ut antiquitus.*5.*ca.*17. *quæſt.*4. *ca. de raptoribus. can.*36.*quæſt.*1.*cap. inter alia.* 6. *de immunitate Eccleſ.* Adeo, vt iudex ſecularis inhibere n poſſit ne tali dentur alimenta & omnia n ceſſaria, *d.l. præſenti.* Quod Eccleſiarum p uilegium Iulius Clarus *lib.*5.*practicæ crimin lis quæſt,*30.*n.*25.ad ſcholas etiam extendit, quibus ſcholares pro aliquo delicto extr hendi non ſint. Quod ita de conſuetudi obſeruari tradit Rebuffus *de priuilegiis ſcho rium,*

Quia tamen Deus Optimus Maxim facinorum præſertim enormium tutel non approbat, quidam delinquentes templum vel Eccleſiam confugientes i munitatem ſibi fruſtra romittunt, *§. neq autem. Auth. de mandatis principum.* cum ſ crorum locorum immunitas à lege non i iuriantibus, ſed iniuria affectis conceſſa *d.§. neque autem.*

Vnde titulus Codicis *de his qui ad Eccl. co fugiunt,* non habet locũ in eo, qui debet ſta

Sv

Syndicatui, Paris de Puteo in *tract. de Syndicatu, §. viso. num.* 6. ne ſcilicet iudices occaſionem habeant ſpe euitandi Syndicatum vel propter amicitias, vel propter inimicitias, vel turpiſſimi lucri gratia, vel propter aliud quoppiam vitium, quod miſerrimis animis huiuſmodi iudicum innaſci poteſt, *l. pr. properandum.* 33. §. *ſin autem. C. de iudic.* à via iuſtitiæ decedendi & ſeſe æternis gehennæ ſupplicijs mancipandi. *§. fin. Authent vt iuſiurandum quod præſtatur, &c.* facit Gl. Germanica Land⸗recht *lib. 3. art.* 30. verb. Der Richter ſoll gleich Richter ſein. videantur de hac re plura apud Gomeſium, *tom. 3. variar. reſolut. cap* 11. *numero* 2. Iulium Clarum ſupra allegato loco, Alciat. *lib* 2. *παρέργων. cap.* 42. Corraſ. *lib.* 5. *Miſcellan. cap.* 33.

Eiuſmodi quid indultum eſſe cenſetur ſtatuis principum, vt ad eas confugiens ſecurum perfugium habere poſſit, *leg. non contrahi,* 5. *cum l. ſeq. ff. ad l. Iul. Maieſt. l. vnica. C. de iis qui ad ſtat. confug.* vide Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 5. *mihi fol.* 36.

Ad *L. ſi eum ſeruum.* X X I I I.

PRecium rei meæ, quæ ad alium peruenit, recte à me condicitur, (id eſt, repetitur) Etſi enim vix ſit, vt vel perſonali, vel reali actione agere poſſit eiuſmodi legatarius, de quo in hac lege agitur, cōtra eum, cum quo

non contraxit,& qui rem legatam non poſſidet: ex æquitate tamen illi ſuccurritur, & condictio perſonalis contra venditorem, qui precium recepit,ei indulgetur. Ex quo apparet aliquando in ſubſidium permitti actionem contra tertium, qui habet meæ rei commodum,text. eſt hic & in *leg.ſi me & Titium. 32.inf.h.tit.*

Vnde peti poteſt deciſio idoneæ quæſtionis,quam proponit, ſed non decidit Bart. in *l.his ſolis.49.infra de condict.indeb.* De eo,qui pauperi frumentum ſubminiſtrat ad filios tempore caritatis annonæ alendos, quibus eo frumento alitis poſtea obuenit opulenta quędam hæreditas,an is,qui ſubminiſtrauit ab iis iam factis locupletioribus precii frumenti poſſit condicere. Et placuit Iaſoni,quem ſequitur Zaſius hic competere eiuſmodi actionem contra filios,per text. *l.ei qui.7.C.quod cum eo,&c.* A qua tamen ſententia eſt alienior Decius: quam recte e[x] Cagnolo apparet in *l.ſi emancipati. 9.n.123. C. de collat.* ibi: *contingit aliquando doctiſsimo noſtro Decio Iaſonis præcipuo reprehenſori, quod illis contigiſſe referunt qui ſtudio contradicendi ſanum perdiderunt intellectum.*

Idem Cagnol. in *l.vinum. nu.39. ſupra hoc tit.* ibi: *Melius feciſſet Decius cum Iaſone Alexādrum bene dicentem ſequi,quā ſtudio contradicendi Iaſoni Imolaum male ſentientem approbare.*

Cæterum

Cæterum regulariter precium non ſuccedit loco rei in ſingularibus, *l.qui vas.* 48. *§. vlt.ff.de furtis.l.Labeo & Sabinus.*14 *§.1.de verb. ſignificat.* nec obſtat. *l.ſi & rem.* 25. *ff. de petit. hær.l.Imperator.*72.*§.vlt.de legat.2.* quæ procedit in iudiciis vniuerſalibus: quæ a ſingularibus diſerte diſtinguit Iuriſconſultus in *l. venditor ex hær.21.ff.de hær.vel act.vend.* quanquam negari non poteſt in ipſis etiam vniuerſalibus precium loco rei ſuccedere, non quidem verè, ſed ex quadam fictione: cum proprie loquendo aliud ſit precium, aliud res ipſa, *l.ſi.alii.*49. *§.fin.de vſufr. l.propemodum.*88.*de verb.ſignif.* Vnde qui precium ſtipulatur, rem non ſtipulari intelligitur. *l.fundum Cornelian.*28.*de nouat.* qua de re vide vltra Dd. hic Tiraq. *de retract.gentil.§.*32.*Gl.*1. *& vnica. n.*21. Corraſ. in *l.filium quem, num.*112.113. *C. famil.herciſc.* Henningum Göden *conſ.* 81. *& conſ.* 82. *mihi fol.* 230.

Ad *l.ſi quis certam.* XXIV.

EX ſtipulatione, quæ certum continet, non quidem ex ſtipulatu actio, ſed certi condictio competit: quæ locum habet quotieſcunque certum aliquid petitur, cum interim ex ſtipulatu agatur quotieſcunque contractus vel factum eſt incertum, *Inſtit. de verb.obl.in princ.* Nec obſtat textus in *l.ſi pacto quo pæn.*14. *C.de pact.* vbi ſtipulatio ſubiicitur

pænę

Eandem diſtinctionem circa loci æſtimationem Iulianus hic adhibendam ſtatuit, vt ſcilicet loci deſignati æſtimationem iudex ſequatur: ſin circa locum contrahentes nihil definiuerint, tanti vinum, quanti eo loci fuerit, vbi iudicium exercetur, æſtimandum eſt.

Etſi enim æſtimatio videbatur redigenda vel ad tempus contractus, *l. cum quis 20. de act. & obl.* vel ad tempus moræ, *l. quod te. 5. ſupra hoc tit.* facit *l. 3. §. ſi per venditorē de act. empt.* Quia tamē in iudiciis ſtricti iuris, vt in mutuo, tempus litis conteſtatæ omnino attenditur, *l. 3. §. in hac. ff. commod.* magis eſt, vt ab eo tempore omnis cauſa actori reſtituatur, *l. 3. infr. de vſuris.*

Quo in loco primum ſe offert explicandum, quod vinum mutuo datum in eadem ſubſtantia videtur repeti; cum tamen non eadem ſpecies & ſubſtantia, ſed res in eodē genere eademq; qualitate reſtituenda ſit, *l. 2. ſup. hoc tit.* quod facit ad notabilem in actu practico quæſtionem de eo, qui in libello petit, aduerſarium ſibi condemnari ad reſtituendum idem, quod mutuauit; nam & libellus per relationem ad genus, non ad eandem ſpeciem ſuſtinendus eſt, cum verba libelli ſecundum libellantis intentionem interpretanda, imo improprianda, non etiam cauillanda ſint, vt ſaluetur libellus, nec

Re

Reo detur quærendorum ſubterfugiorum occaſio, *l. ſi quis intentione. 66. de iudic.* Decian. *conſil. 54. iuri ac veritati. n. 44. vol. 2.* Cæpolla *cautela* 106. Henningus Göden *conſil. 40. mihi fol.* 141. Caſtrenſ. in *l. ſolemus. 61. per illũ textum. n. 3. ff. d. tit. de iudic.* Etiamſi autẽ hæc loquendi phraſis, qua Iulianus hic vtitur, videatur aliquo modo degenerare à ſolita Iuriſconſultorum elegantia & ſermonis lepore Cagnolus hic ſtatim in principio: tamen alibi etiam à Iuriſconſultis vſurpatur, vt quãdo quid per viam iudicii poſcitur, repoſcitur vel repetitur, *l. ſi ſine. §. 1. rem ratam hab. l. dedi. § Neratius. de condict. cauſa data.*

Cæterum, per iudicem vinum petitum eſſe dicitur, cum præmium legale perdat qui ſibi propria autoritate ius dicere præſumſit. Dd. in *l. ſi ab hoſtib. §. ſi vir. ſol. matr.* per textum. *l. interdum. 2. §. qui furem. de furtis.* refert & ſequitur Rolandus à Valle in *tract. de lucris dotis, quæſt. 63. n. 2.* Non eſt enim conſultũ concedere ſingulis, quod publice per Magiſtratum debet fieri, *l. non eſt ſingulis. 137. de R. I.* Vnde non tantum legib. ſacroſancta eſt iudicis ad priuatos autoritas, adeo, vt citra pœnam ipſi irreuerenter loqui non liceat, Paris de Put. *in tract. de Syndicatu ſub Rubr. de libelli formatione, §. notorium iudicii. n. 11. & 14. per textum. l. iudici. 42. ff. de iniuriis.* Verum etiam peculiaribus prærogatiuis gaudet & priuilegiis,

priuilegiis, vt quod adminiſtris iuris vel Magi(ſiue ſagæ) neutiquam nocere poſſint, arcano & mirabili & à iudicibus optime recolendo Dei præpotentis iudicio, qua de re vide Bodin. *de Dæmonomania, li.* 4. *mihi fol.* 271. Etſi autem vinum quidem non in libello hic ab actore petitur; tamen Reus ad præſtandam vini æſtimationem adeoque ad aliud, quam petitum fuit, condemnatur, cum quidem regulariter ſententiam libello conformem eſſe oporteat: adeo vt inſanire dicatur iudex, qui ſuper alio, quam petitum fuit, pronunciat, *l. vt fundus.* 18. *ff. commun. diuid. l. fin. Cod. de fideicommiſ. libert. Clement. ſæpe. verſ. verum quia. de verb. ſignificat. cap. licet heri.* 31. *de Simonia.* Sed interdum propter neceſſitatẽ tolleratur ſententia, qua in aliud quam petitum fuit, iudex condemnet, vt hoc loco cum vinum per debitorem conſumptum præſtari nequeat, eius æſtimationem iudex exolui iubet, *l. qui deceſſerit.* 4. *qui ſatisd. cog. l. fi. C de ſententia quæ ſine certa quantit. leg. promiſſor.* 24. *de conſtit. pecun.* Quæ res incitamento ſit Aduocatis, vt libelli concluſionem cautius concipiant, adeoque in caſu huius legis ad vinum & quanti plurimi valuit, prout in executione ſententiæ liquidabitur, agant, quemadmodum boni Practici petere ſolent, Cagnol. hic *num.* 29. quo caſu in æſtimatione adiudicanda iudex eo minus dubitabit,

bitabit, Speculator in tit. *de oblat. & ſolut.* §. *ſequitur, colum. antepenult. per textum. leg. ſi ſeruum.* 91. §. *fin. & ibi Gl. in verb. poſſit. de verb. obligat.* cum æſtimatio rectè attendatur, vbi res deſinit vel conſumitur, *leg. ſi vſusfructus. 6. in fin. de vſu & vſufr. leg.* Burſatus *conſil. 99. numero 36.*

Poterit itaque iudex in illis & eiuſmodi caſibus à petitione libelli diuertere & aliter Reum condemnare ſecundum merita proceſſus, Matth. de Afflict. *cap. 1. num. 71. verſ. quod verum eſt de milite Vaſallo qui contumax eſt.* Qua de re videatur Iaſon hic, qui refert tredecim fallentias ad hanc regulam. Quibus hæc & addenda eſt, quod ea locum non habeat in caſu *leg. 3. §. hæres. ff. commodati.* ſecundum Marianum Socinum iuniorem in *leg. 4. §. Cato. num. 62. de verb. obl.* Item quod hæc regula fallit in iis caſibus, in quibus iudex poteſt augere vel minuere pœnam, Bart. in *l. quid ergo. § pœna grauior. n. 9. de his qui notantur infamia.* Quia vero non raro plus petitur, & minus probatur, eo caſu ſic eſt concipienda ſententia, vt ſuper probatis tantum fiat condemnatio, & in non probatis fiat abſolutio, Bald. in *l. 1. C. de litis conteſt. per l. ſi conſtante. 25. §. ſi bene. ff. ſol. matr.* Bart. in *l. ſi tre debemus. in fin. ff. de verb. oblig.*

Vt autem ea, quæ de æſtimatione hic traduntur, facilius intelligantur, ſciendum eſt,

bonitatem mercium dupliciter conſiderari.

I. Intrinſecè, vt cum bonitas intrinſeca, ineſt vino à natura, vt dulcedo.

II. Extrinſecè, vt cum bonitas extrinſeca in valore & æſtimatione, adeoque potius in hominum commercio conſiſtit, quam natura. Hæc bonitas extrinſeca in *l. ſi ſterilis. 22 §. cum per venditorem. in fin. de act. empt.* appellatur vtilitas circa rem quæ venit in contractu emptionis & venditionis: quando ſcilicet quis emit certam rem, eamque principaliter appreciat reſpectu bonitatis extrinſecæ; cum res tantum valeat, quanti vendi poteſt, *l. precia. rerum. 63. in princ. ad l. Falcid. l. mortis cauſa. capimus. 18. in fine. & ibi Gl. de donation. cauſa mortis.* vel quod tanti vendatur, quanti eſt eius intrinſeca bonitas, ita vt qualitas precii reguletur à bonitate intrinſeca; cum pluris & minoris pro qualitate bonitatis vnaquæque res vendi conſueuerit: vel quod pluris vendatur, propter raritatem mercium, quæ in contractum deducuntur, & loci diuerſitatem, cum non tantidem oleum vendatur Romæ, vt in Hiſpania, *d. l. precia. §. fin. & l. ideo. 4. ff. de eo quod certo loco.*

Ad hanc extrinſecam rei æſtimationem faciendam attenditur locus ſolutioni deſtinatus,

natus, text. eſt hic & *l. fin. de condict. tritic ar.* facit *l. contraxiſſe. de act. & obl.* Vnde vino in Turingia vendito & in Saxonia exhibendo, ſi agatur ad reſciſſionem contractus ex *l. 2. C. de reſcind. vend.* debet attendi æſtimatio vini in Saxonia, vbi vinum dari debet.

Neque vero æſtimatio momentanea, & quæ breui tempore durauit in conſiderationem veniet, niſi contra moroſum, contra quem vtpote contumacem, cum non vtamur æquitate, ſed rigore, magis eſt vt cum Alexandro in *l. precia rerum. 63. ff. ad l. Falc.* dicamus illam momentaneam ęſtimationem conſiderari, *l. locum. 3. §. condemnatio. de tabul. exhib. l. 2. C. de poſthum. hær. inſtit.* Omittendum hoc loco non eſt, quod de tempore ad locum rectè nos argumentari Iureconſ. aſſerit hic, & in *l. ita ſtipulatus ſum. 115. de verb. obl. & in l. miles. ita. 42. de mil. teſtam. l. precia rerum. ff. ad l. Falcid.* quod tamen verum eſt, ſtante identitate rationis, Cagnolus hic, *num.* 48. qua diſcrepante, adeoque ceſſante ratione ceſſat & argumentatio. Sic teſtis, qui excuſatur, dicens ſe non recordari temporis, non excuſatur dicens ſe non recordari locorum; cum non ita exactè retineamus memoriam temporis, vt locorum, Gl. pen. *verb. per teſtium* in *l. 3. C. ſi minor ſe maiorem dixerit.* Quippe quæ non ſolum facile retinentur, ſed etiam per quæ nobis recordatio eorum quæ ibi

egimus aut cogitauimus, ſubiicitur, *can. valet. 9. diſtinct. 81.*

Sic etſi tempore feriato in honorem Dei debitor fugitiuus capi poſſit, Gl. in *l. dies feſtos. 10. Cod. de feriis.* ſecus tamen eſt in loco ſacro, puta Eccleſia, ad quam confugiens etiam delinquens ab ea extrahi non poteſt, *l. præſenti. 5. C. de his qui ad Eccleſiam confug. can. ſicut antiquitus. 5. ca. 17. quæſt. 4. ca. de raptoribus. 3. can. 36. quæſt. 1. cap. inter alia. 6. de immunitate Eccleſ.* Adeo, vt iudex ſecularis inhibere non poſſit ne tali dentur alimenta & omnia neceſſaria, *d. l. præſenti.* Quod Eccleſiarum priuilegium Iulius Clarus *lib. 5. practicæ criminalis quæſt. 30. n. 25.* ad ſcholas etiam extendit, è quibus ſcholares pro aliquo delicto extrahendi non ſint. Quod ita de conſuetudine obſeruari tradit Rebuffus *de priuilegiis ſcholarium.*

Quia tamen Deus Optimus Maximus facinorum præſertim enormium tutelam non approbat, quidam delinquentes ad templum vel Eccleſiam confugientes immunitatem ſibi fruſtra romittunt, *§. neque autem. Auth. de mandatis principum.* cum ſacrorum locorum immunitas à lege non iniuriantibus, ſed iniuria affectis conceſſa ſit. *d. §. neque autem.*

Vnde titulus Codicis *de his qui ad Eccl. confugiunt,* non habet locũ in eo, qui debet ſtare

Syn-

Syndicatui, Paris de Puteo in *tract. de Syndicatu,* §. *viſo. num.* 6. ne ſcilicet iudices occaſionem habeant ſpe euitandi Syndicatum vel propter amicitias, vel propter inimicitias, vel turpiſſimi lucri gratia, vel propter aliud quoppiam vitium, quod miſerrimis animis huiuſmodi iudicum innaſci poteſt, *l. properandum.* 33. § *ſin autem. C. de iudic.* à via iuſtitiæ decedendi & ſeſe æternis gehennæ ſupplicijs mancipandi. §. *fin. Authent vt iuſiurandum quod præſtatur, &c.* facit Gl. Germanica Landtrecht *lib.* 3. *art.* 30. verb. Der Richter ſoll gleich Richter ſein. videantur de hac re plura apud Gomeſium, *tom.* 3. *variar. reſolut. cap* 11. *numero* 2. Iulium Clarum ſupra allegato loco, Alciat. *lib* 2. *παρέργων. cap.* 42. Corraſ. *lib.* 5. *Miſcellan. cap.* 33.

Eiuſmodi quid indultum eſſe cenſetur ſtatuis principum, vt ad eas confugiens ſecurum perfugium habere poſſit, *leg. non contrahi,* 5. *cum l. ſeq. ff. ad l. Iul. Maieſt. l. vnica. C. de is qui ad ſtat. confug.* vide Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 5. *mihi fol.* 36.

Ad L. *ſi eum ſeruum.* XXIII.

PRecium rei meæ, quæ ad alium peruenit, recte à me condicitur, (id eſt, repetitur) Etſi enim vix ſit, vt vel perſonali, vel reali actione agere poſſit eiuſmodi legatarius, de quo in hac lege agitur, cõtra eum, cum quo

Cæterum regulariter precium non ſuccedit loco rei in ſingularibus, *l. qui vas. 48. §. vlt. ff. de furtis. l. Labeo & Sabinus. 14. §. 1. de verb. ſignificat.* nec obſtat. *l. ſi & rem. 25. ff. de petit. hær. l. Imperator. 72. §. vlt. de legat. 2.* quæ procedit in iudiciis vniuerſalibus: quæ a ſingularibus diſerte diſtinguit Iuriſconſultus in *l. venditor ex hær. 21. ff. de hær. vel act. vend.* quanquam negari non poteſt in ipſis etiam vniuerſalibus precium loco rei ſuccedere, non quidem vere, ſed ex quadam fictione. cum proprie loquendo aliud ſit precium, aliud res ipſa, *l. ſi. alii. 49. §. fin. de vſufr. l. propemodum. 88. de verb. ſignif.* Vnde qui precium ſtipulatur, rem non ſtipulari intelligitur. *l. fundum Cornelian. 28. de nouat.* qua de re vide vltra Dd. hic Tiraq. *de retract. gentil. §. 32. Gl. 1. & vnica. n. 21.* Corraſ. in *l. filium quem, num.* 112. 113. *C. famil. herciſc.* Henningum Goden *conſ.* 81. & *conſ. 82. mihi fol. 230.*

Ad *l. ſi quis certam.* XXIV.

EX ſtipulatione, quæ certum continet, non quidem ex ſtipulatu actio, ſed certi condictio competit: quæ locum habet quotieſcunque certum aliquid petitur, cum interim ex ſtipulatu agatur quotieſcunque contractus vel factum eſt incertum, *Inſtit. de verb. obl. in princ.* Nec obſtat textus in *l. ſi pacto quo pœn. 14. C. de pact.* vbi ſtipulatio ſubiicitur pœnę

pœnæ,quæ certa eſt, & nihilominus ex ſtipulatu agitur. Nam ſtipulatio dupliciter conſideratur.

I. Quatenus eſt qualitas actionis, vt in caſu legis noſtræ, quo propter ſtipulationẽ agere non poſſumus.

II. Quatenus eſt qualitas contractus, cui ſtipulatio eſt interpoſita; quo caſu loquitur lex allegata in contrarium.

Ad *L. creditor.* XXV.

ETſi priores tempore creditores omnibus aliis præferendi ſunt. *c. qui prior. de R. I. in 6. l. quoties vtriuſq́. 99. ff. d. tit. l. qui balneum. 9. ff. qui pot. in pign.* quod procedit etſi hora præceſſiſſet eorum obligatio, vt notatur per Gl. in *l. ſi ex pluribus 89. §. fin. verb. ex vſu. de ſolut.* quinimo etſi in temporis puncto prior eſſet, præferri deberet, Bald. in *l. de reb. 13. C. de donat. ante nupt.* Ii tamen, qui pro conſeruatione alicuius rei pecuniam expẽderunt, præferuntur in illa re omnibus aliis creditoribus etiam tempore prioribus, text. eſt hic, & in *l. interdum. 5. vbi Gl. &* Bart. *qui pot. in pign. &c.* Quæ procedunt non modo ſi pecunia data ſit in re ipſa conſeruanda puta in negociatione vel mercibus, ſed quocunque modo, dum tamẽ pro conſeruatione ipſius rei, vt ſi datæ ſint in alimenta inſtitorum vel ſalaria, aut in ſimilem cauſam, *l. huius. 6. qui*

pot.

pot.in pig. &c. Vnde Paulus de Caſtro in terminis eiuſmodi negociationis conſuluit *conſil.* 285 *.in* [illegible] *volum.* vbi *num.* 2. inquit: quod non minus ſint priuilegiati illi creditores, quorum pecunia conſeruata eſt apotheca, vt non decoqueret, cum eſſet oppreſſa creditoribus, quibus ſoluta fuit dicta pecunia, quæ illi, qui in ſpecie iſti apothecæ crediderunt, per *l.* 1. *§. non autem. cum §. ſeq. ff. de exercit.*

Ratio huius diſpoſitionis hæc eſt: quod reficiens domum vel ædes ſua pecunia per hanc ſuam refectionem iura ſua, & reliquorum creditorum adeoque totam pignoris cauſam conſeruat & ſuſtinet, *l. huius. 6. ff. qui pot. in pignor.* cum quidem non minor ſit virtus, quã quærere, parta tueri: Gl. in *l. ſi paterfam.* 15. *§. in arrogationibus verb. procreationi. de adopt. & in l.* 1. *§.* 1. *verb. poſita. C. de Iuſtin. Cod. confirm.* Et Reip. interſit, vt domus reficiantur potius, quã de nouo ædificentur, *l.* 2. *C. de ædific. priuat. l.* 2. *§. ſi quis a nemine. inf. ne quid in loco publico.* Vnde dominus domus ruinoſæ ad reficiendum officio iudicis compelli poteſt, *l. præſes.* 7. *De off. præſid. l. ad curatoris.* 47. *de damn. infecto.* idq; propter periculum, quod ei propter tranſeuntibus imminet.

Hoc loco nõ inconuenienter quæritur, an creditor priuilegiatus agere poſſit ad pecuniam ſolutam poſteriori creditori, qui

rum

eam conſumpſit? De fiſco non eſt dubium quin poſſit, *l. pecunia.* 5. *C. de priuil. fiſci. l. deferre,* 18. *§. vlt. ff. de iure fiſci.* An vero in quocunque priori creditore idem obtineat, probabiliter dubitatur? Etſi enim Accurſius in *d. l. pecunia.* per text. ibi allegatos affirmatiue concludat: tamen ea iura loquuntur in eo caſu, quo ab hæredibus per iudicem coactis & compulſis fit ſolutio debitorum ipſius defuncti. Vt non immerito dubitetur, an idẽ ſit in eo caſu dicendum, quo pecunia liberè & ſponte ſoluitur à debitore poſteriori creditori, qua de re vide Didachum *practicar. quæſt. cap.* 29. & Cephal. *conſil.* 448. *in præſenti caſu, lib.* 3. Cæpolla *de ſeruitutib. ruſtic. præd cap.* 59.

Ad L. *ſi pecuniam. XXVI.*

PRocurator militis eius pecuniam mutuando & fideiuſſorem accipiendo ei actionem acquirit, ſicut tutor pupillo & curator adulto. Etſi quilibet priuatus mutuando pecuniam meam alteri meo nomine mihi actionem acquirit, *l. certi.* 9. *§. ſi nummos. ſupra hoc tit.* tamen iſte contractus à procuratore pagani vel priuati factus aliter non valet, quã ceſſis à procuratore actionibus. *l. ſtipulatio iſta.* 38. *§. ſi ſtipuler. de verb. obl.* Sed militi in hac lege quiddam ſpeciale indulgetur, quod ei actio ſine ceſſione acquiritur, argumento

mento *l. 2. quando ex facto tutoris.*

Cum autem textus hic quiddam ſpeciale ex mente & ſententia interpretum militibus indulgere cenſeatur, non omittenda eſt explicatio veteris quæſtionis, an noſtri temporis militibus priuilegia militaria cõpetant: Quæ quidem diſtinctione explicatur: aut enim dant operam rei militari & vitæ periculo ſe exponunt, & ad confligendũ cum hoſte & tuendam Remp. parati ſunt, quo caſu militaria priuilegia illis competere docuit Cynus in *l. 1. n. 10. C. de iuris & facti ignor.* Socinus ſenior *conſ. 33. num. 4. vol. 3.* idque per text. *l. vlt. de milit. teſtam. & l. vnica. de bonor. poſſ. ex teſtam. militis.* Quod ſi artem militarem non exerceant, & nihil quod militiam præ ſe ferat in iis conſiderari poſſit, magis eſt, vt dicamus, eos non gaudere militari priuilegio. Cynus in *d. l. 1. num. 10.* cum ceſſante cauſa priuilegii ceſſet ipſum priuilegium, *l. ex facto. 43. De vulg. & pup. ſubſt. l. Titia Seio. 89. §. vſuras. de legat. 3.* Qua de re videantur plura apud Iohan. Fauđum *lib. 1. quæſt. cap. 55. fol. 77.* Mynſing. *conſil. 46. Decad 5.* Amedeum de caſtello in *tract. de ſyndicatu, in materia inquiſitionis verb. magnificum ac generoſum militem. n. 37. 38.* Manticam *de coniect. vlt. vol. tit. 1. lib. 6. nu. 33 34. &c.*

Ad

Ad L. *Ciuitas.* XXVII.

HÆc lex eſt vna ex præcipuis ſub hac Rubr. comprehenſis, in qua quæritur, an ciuitates & Vniuerſitates obligentur ex contractu Mutui facto cum ſuis adminiſtratoribus. Ciues quidem vniuerſi conſentire facilè non poſſunt; cum in ciuitate vel Rep. multi ſint conſenſum non habentes, vt infantes, furioſi, *l. quia certum. ff. locati. l. infans. ad l. Cornel. de ſicar.* Vnde propter delictum in vniuerſitatem ſententia excommunicationis proferenda non eſt, ne innoxii, qui non conſenſerunt, nec crimini conſenſum præſtiterunt, imo ne præſtare quidem potuerunt, eiuſmodi ſententiæ periculo innocẽter inuoluantur, *cap. Romana. §. fin. de ſententia excommunicat. in 6.* Cui accedit multorum naturalis ad diſſentiendum facilitas, *l. item ſi vnus.* 19. § *principaliter. de recept. arbitr.* nõ quod impoſſibile ſit, ciues omnes conſenſum habentes conſentire, *l. metum.* §. *animaduertendum. quod metus cauſa.* ſed quod admodũ difficile ſit tantam hominum turbam in vnum conuenire, *l. 2.* § *quia difficile. de orig. iuris.* Hoc itaque iure vtimur, vt in his, quæ ſunt ciuitati vtilia, conſentire intelligatur per eorũ ſyndicos, actores & adminiſtratores: qui tamen non ſunt vnius generis; nam aut ſunt adminiſtratores iuſtitiæ, qui reddunt ius populo.

populo, de quib. habetur in *l. 2. §. poſt originē. de orig. iuris.* tales hodie in ciuitatibus ſubditis ſunt aut certe haberi poſſunt ciuitatum defenſores, *Auth. de defenſor. ciuitat. collat. 3.* quibus olim iuriſdictio ciuilium cauſarum vſque ad aureos trecentos, & cognitio leuiorum criminum legitimaq; caſtigatio permiſſa fuit, *§. & iudicare §. audient, d. Auth. de defenſor. ciuitat.* Ratio tam ſtrictæ iuriſdictionis eis conceſſæ hæc fuit, quia in ciuitate aderat præſes, qui forenſes quæſtiones digne & pro autoritate diſcutere poterat. Huius officii autoritas ab ipſo Iuſtiniano quodammodo reparata eſt, *d. Auth. de defenſor. &c. §. nulla.* Olim quidem non legebantur de decurionibus cohortalibus, ſeu de proprio corporis ordine, ſed de nobilioribus ciuitatem inhabitantibus. *l. 2. C. de defenſor. ciuit.* id quod poſtea ſucceſſu temporis immutatum eſt, & electi defenſores de incorporatis municipalibus & decurionibus, aut de reliquis ciuitatis habitatoribus §. interim *d. Auth. de defenſor. ciuit.* Qua de re videantur plura apud Chaſſanæum in *Catalogo gloriæ mundi, parte 11. conſiderat. 5. mihi fol.* 214. Aut præſunt dirigendis rebus & negociis, & dicuntur Syndici, qui nomine vniuerſitatis comparent in iudicio, & habent ſe actiue & paſſiue agunt & defendunt, de quibus diſponitur in *l. nulli. 3. ff. quod cuius vniuerſ. &c.* &

notat Gl. in *l. 1. §. quibus verb. Syndicum. ff. d. tit.* Aut ſunt de conſilio Ciuitatis & repræſentant totam Vniuerſitatem, idque propter difficultatem congregationis, quales hodie in ciuitatibus liberis ſunt Senatores *toto tit. ff. de ſenator. §. ſenatuſconſulta. Inſtit. de iure naturali, &c.*

In ciuitatibus ſubditis ordo decurionum, *toto tit. ff. de decur.* qui non iudicandi, ſed publice conſulendi gratia eligebantur, *l. pupillus. 239. §. decuriones. de verb. ſign.* ex quibus tamen eligebantur Magiſtratus, qui ius dicerent, *l. reſcripto. 6. ff. de muneribus & honor.* Ex iis etiã conſtituebantur duumuiri, qui tales erant in oppidis & municipiis, quales Romæ erant conſules, quibus negociorum publicorum cura demandabatur, *l. vnica. de albo ſcrib.* vt locatio vectigalium, &c. *l. in honorariis. 34. §. fin. de act. & obl.*

Aut denique adminiſtrant bona Ciuitatis, quales hodie ex populo eliguntur, *leg. in tantum. 6. §. Vniuerſitatis. ſupra. de rerum diuiſione.*

De hiſce procul dubio ſenſit Iureconſultus in hac lege noſtra, ad quam eo commodius intelligendam ſciendum eſt, Ciuitatẽ definiri aut reſpectu loci; quo caſu eſt locus muris circundatus, & appellatur propiori nomine Vrbs, ab vrbo vel vruo, id eſt, curuo aratro, quod ſolet exerceri in condendis

dendis vrbibus, *l. pupillus. 239. §. vrbs ff. de verborum ſign.* Sicut & in iiſdem euertendis, vnde ciuitas mori dicitur, ſi authoritate ſuperioris ad aratrum damnetur, *l. ſi vſuſfr. 21. quibus modis. vſuſfr. amit.* quod quale ſit, videatur apud Bodin. *lib. 1. de Rep. cap. 6. mihi fol. 51.* Quod etiam tum contingit, ſi pereat alluuione vel chaſmate, *l. cum res. leg. 49. §. fin. de legat.* 1. Item ſi fuerit poſita in banno æternali Imperatoris vel Papæ, Baldus ſuper feuda tit. *de pace Conſtantiæ. n.* 8. Item ſi inde diſcedant ciues vlterius eò non reuerſuri, *l. pen. in princ. de colleg. illicitis.*

Aut definitur ciuitas reſpectu hominũ in ea habitantiũ, quo caſu eſt multitudo hominũ ſocietatis vinculo copulata ad ſimul certo loco perpetuò & iure viuendũ cũ certa in territorio iuriſdictione, *l. omnes populi. 9. ſup. de iuſt. & iure. §. omnes populi. §. ius gent. Inſt. de iure naturali, &c. §. ſingulorũ. Inſt. de rer. diuiſ.* Ad cuius eſſe nõ requiritur, vt habeat Epiſcopatũ, *cap. 1. de priuileg. in 6.* cum imò in primitiua Eccleſia Epiſcopi nõ habebãtur, niſi in magnis ciuitatibus, Abbas in *cap. 1. de offic. ordin.*

Ad cuius florentem ſtatum multum, imò plurimum conducit à bono principe gubernari & regi Fulgoſius *conſil. 147. colum. 7. inter conſilia Imolai.* Qua de re videantur plura apud Cagnolum in *princ. l. 2. nu. 24. de orig. iuris. Bodin. de Rep. lib. 1. c. 6.* vbi quid ciuis, quan-

tum ciues à ciuibus, quantum à peregrinis differant, quid item vrbs, quid ciuitatis & Reip. appellatione veniat.

Hæc itaque, ſi eiuſmodi adminiſtrator annalis pecuniam eius nomine mutuam accepit, non aliter obligatur, quam ſi pecuniæ in Ciuitatis vtilitatem verſæ ſint. Circa quã verſionem multa ſe conſideranda offerunt. Inter quæ primum eſt, quisnam verſionem in Ciuitatis vtilitatem probare teneatur? Qua in re diſtinguendum inter creditorem cum adminiſtratoribus annalibus ciuitatis contrahentẽ, cui incumbit hoc caſu probatio ſecundum communem opinionẽ Gl. hic: cum textus diſerte dicat, ciuitatem obligari, ſi verſa ſit pecunia, adeoque fundamentum creditoris ſit, quod pecunia verſa ſit, quam verſionem ipſe probare tenetur, *l. ei qui 2. l. ab ea parte 5. ff. de probat.* Ratio eſt; quia præſumptio, quæ inſurgit ex contractu celebrato cum legalibus perſonis tollitur per priuilegium huius legis: Et inter eum creditorem, qui contraxit, non quidem cum annali adminiſtratore, ſed cum ipſa Vniuerſitate aut ſaltem eius conſilio, quod totam Vniuerſitatem repræſentat: quo caſu præſumitur pecunia verſa in Ciuitatis vtilitatem, neque propter tantorum virorũ probabilem probitatem neceſſaria eſt alia probatio, argumento *cap. niſi eſſent. 21. de præbendis*

bendis ca.quod quibusdam.3.de fideiuſſor. Eodem modo ſe res habet, quãdo contrahitur cum decurionibus totam Vniuerſitatem repræſentantibus; quia niſi ſint approbatæ vitæ non ſolent eligi perpetuo ad gubernationẽ Ciuitatis, ideo ceſſat omnis ſuſpicio defraudandæ ciuitatis, non ideo tantum, quod actus etiam de ſe ſuſpectus propter probitatem agentium præſumatur bona fide factus & eo modo, quo de iure permittitur, Abbas in *d.cap.niſi eſſent*: verum etiam, quod in propria cauſa contrahere & decipiendo Vniuerſitatem ſemetipſos decipere videantur, quod præſumendum non eſt, *l.cum de indebito.* 25. *de probat.* Quod ſi pecunia numerata eſt procuratori habẽti ſpeciale mandatũ ab Vniuerſitate vel conſilio ad accipiendum mutuum ſecundum formam mandati obligatur Vniuerſitas, *l.habebat.*14.*de inſtit.act.* facit *l.vnica.Cod.de ſol.& li.deb.Ciuit.&c.li.*11. vbi debitores Reip. etiam in maxima quantitate liberantur per apotiſſam ſubſcriptam à curatoribus vel aliis deputatis ad exigendũ pecunias Ciuitatis, neque tenentur probare pecuniam in Vtilitatem ciuitatis verſam eſſe. Probatur autem verſa in vtilitatem Ciuitatis pecunia vel naturaliter, puta quia Ciuitas liberata fuit per eam à debito fiſcali, vel quia empta fuit res neceſſaria. Aut cum difficilis ſit hoc caſu probatio prꝑſum-

ptiuè docendo, vt ſi numerentur in præſentia totius Vniuerſitatis pecunia, aut ſaltem Conſilii, argumento, *d. cap. quod quibuſdam. 3. de fideiuſſ.* Aut probando pecuniam fuiſſe acceptam in certam cauſam, in qua Ciuitas indigebat pecunia, *l. fin. de exercit.*

Maior difficultas in eo eſt, ſi pecunia non quidem in vtilitatem, quæ non apparet, ſed in negocium Ciuitatis, de quo cõſtat, verſę ſunt; an eo caſu obligetur Ciuitas? Et magis eſt vt dicamus, creditorem eo caſu teneri ad probandum, negocium illud fuiſſe Ciuitati vtile, cum textus hic diſerte dicat, Ciuitatem obligari, ſi pecuniæ verſæ non quidem in negocium, ſed in vtilitatem Ciuitatis, facit *l. ſi prædium. 16. C. de præd. minor. &c. & auth. hoc ius correctum. Cod. de SS. Eccleſiis.* quibus iuribus conuincitur ciuitatem eo caſu non aliter obligari, niſi negocium vtile fuerit.

Eſt & cum quæritur, an adminiſtrator vel procurator accipiendo pecunias mutuas, res Ciuitatis rectè obliget? Et non dubium eſt, quin adminiſtrator habens adminiſtrationem cum poteſtate legali, vt eſt adminiſtrator Ciuitatis, tutor, curator, &c. poſſit res Ciuitatis vel pupilli obligare, *l. ſi is qui bona. 11. de pign.* Si vero eſt adminiſtrator, qui poteſtatem conſequitur ex mandato domini ſiue generalis, ſiue particularis ad

vnum

vnum negocium procurator conſtitutus ſit, non poteſt obligare res domini, *l. dominũ 3. infra quod iuſſu.* quod eius mandatum ſe ad talem obligationem nõn extendat, cuius tamen fines diligenter cuſtodiendi ſunt, *leg. diligenter. infra mand.*

Ex eodem fonte promanat & hæc quæſtio, an ciuis pro debito Ciuitatis detineri, ſiſti & arreſtari poſſit, quando Ciuitas ſe & ſuos, ſuaque & ſuorum bona ſolenniter obligauit; & non ſolum pro rata & portione ſua, ſed pro debito vniuerſo arreſtari poſſe, Franciſcus Ripa tradidit ad *l. 4. in inito. de re iudic.* & ad *l. is qui bona. 17. de pignor. & hypoth.* Dd. ad *l. ſicut quod cuiuſque Vniuerſit. cauſa.* Nam quod plerique exiſtimant, vnumquemque cenſeri pro ſua parte obligatum reſpectu ciuium inter ſe, non reſpectu creditoris verum eſt. Scire enim creditor nunquam poſſet quota cuiuſque ſit portio, neque etiam illud in contrahendo actum ſeu cogitatum fuiſſe dici poteſt, & hac ratione vſus arreſti plane tolleretur; cum quidem particularis ſolutio plurima ſecum ferat incommoda, *l. plane. 14. famil. Herciſc.* Quod autem ita arreſtatus vel detentus præſtitit, damnique quod accepit, æſtimationem ac refuſionem à Communitate vel Ciuitate poteſt repetere, Laurent. Sylu. *conſ. 35. n. 8. l. 1. Panorm. conſil. 21. incip. in quæſtione, lib. 2. & conſ. 60. lib. 1.*

P 3 Etiamſi

Etiamſi autem Henningus Göden *conſil.34. n.33.* de hac re longe aliter diſſerat, nempe ciues alicuius ciuitatis pro debito eiuſdem capi, arreſtari, vel incarcerari à creditorib. Ciuitatis non poſſe: tamen videtur loqui eo caſu, quo res & bona ſingulorum nominatim creditoribus obligata non fuerunt, qua de re vide plura apud Petrum Peckium in *tract. de iure ſiſtendi & manuum iniectione, cap.4. n.17.*

Quo loco non inconuenienter & illud quæritur, an princeps Imperii ſuos ſubditos vigore inſtrumenti ſuper contracto debito concepti ita obligare poſſit, vt vbique locorum ſecundum obligationis formulam recte arreſtentur, capiantur & detineantur; eo præſertim caſu, quo creditor debitum ſuum aliter conſequi non poſſit? Ad homines quidem & res hominum hæc licentia non niſi duriſſime extenditur, *l. nullam. 4. C. de executor. & exact. lib. 12. l. hac definitione. 12. C. de omni agro deſerto, lib. 11. l. vnica. C. vt nullus ex vicariis, &c. lib. 11. Auth. vt non fiant pignorationes pro aliis, &c. l. prouidendum. 23. C. de decurionibus. lib. 10.* facit, quod Magiſtratus etiam ſuperiores nō ſint domini rerum particularium, quæ dicuntur ſingulorum priuatorum §. *ſingulorum. Inſtit. de rer. diuiſ.* cum quidem dominia rerum ſint iuris naturæ, *l. ex hoc iure. de iuſt. & iur.* & ſic non poſſunt nobis inuitis auferri

ferri per principem ſaltem ſine iuſta cauſa. Felin.in *cap.quæ in Eccleſiar.n.26.49.de conſtit.* Et ex contractu patroni vel domini liberti. & ſerui neutiquam rectè conueniantur, *leg. fin. C. ne filius pro patre.* quod iniquiſſimum ſit, quem pro alieno debito teneri, *can.ſi hæres.§.1.cauſ.24.quæſt.1.l.filiam Senatoris. vbi Gl. in fin.de Senator.l.paterfam.de hær. inſtit. l.tranſactione.C.de tranſact.l.3.§.fin. de iureiur.* Si tamen princeps Imperii aut alius quicunque dominus iura, hoc eſt, cenſus, prouentus, reditus, & ſimilia, quę alias iure ſuperioritatis ſubditi ſui conferre tenentur creditoribus, obliget, magis eſt vt dicamus valere eiuſmodi obligationem, argumento *l. qui tabernas.32.de contrah.empt.l.Senatus.45.§.fin.l.ſi tibi homo.88.de legat.1.* cum perinde id ſit, ac ſi dominus mandet vt ſeruiant alteri, argumento, *l.medicus.26.de operis libert.* Erunt itaque eiuſmodi ſubditi virtute illius obligationis aſtricti, habita ſaltem conſideratione eorum, quę iure ſuperioritatis erant & ſunt ſuo principi obligati annuatim contribuere. Nec obſtat, quod dominus Vaſallos ſuos inuitos in alium alienare vel transferre non poſſit, *cap.1.§.præterea. de prohib.feu.al.per Federic.* præſertim quando per talem alienationem fierent deterioris conditionis, puta ſi alienatio fieret in minorem aut duriorem dominum, Innocentius in *cap.dilecti.13.extra*

de maiorit. & obedientia. Qua de re videatur Hippolytus Riminaldus *conſ.601. vol. 6.* Zaſius ſuper *feuda parte 7. n. 60. 61. &c.* Cum hoc non obtineat in caſu imminentis neceſſitatis & actus neceſſarius ſub lege non comprehendatur, Tiraq. *de legibus connubialib. Gl. 81. verb. de ſon mari. num. 200. 201. & de retractu gentilitio. §. 26. Gl. 1. n. 20. cum multis ſeqq.*

Deniq; quæritur, an ſicut contrahendo; ita etiā delinquēdo obligatur ciuitas? In quo præmittendum argumentum à delicto ad contractum non indiſtinctè procedere; cū pupillus ex delicto obligetur, *l. impuberem. 23. ff. de furt. §. in ſumma. Inſtit. de obl. quæ ex del.* ex contractu non obligetur, *l. auxilium. 38. ſupra de minor.* Ratio diuerſitatis huius hęc eſt; quia iſtæ obligationes deſcendunt à diuerſis & penitus ſeparatis fontibus, cum obligatio ex contractu æquitatem ſapiat, vt ſc. pacta ſeruentur, obligatio ex delicto deſcēdat ex neceſſitate vt Magiſtratui pareamus & neminem lædamus; vnde ab vno ad aliud & quidem diuerſūm arguendum non eſt, niſi in caſibus à lege ita diſpoſitis, in quibus is, qui obligatur ex delicto etiam ex contractu obligatur: quod interdum fieri ſolet, *l. metum. 9. §. animaduertendum. ſupra quod metus cauſa.* ad quod delictum inducendum, & inferendam ex eo pœnam, aliquot caſus conſiderandi ſunt. Nam pœnę capitis ab iis tātum

tum exigendæ ſunt, qui ſceleris participes & conſcii fuerunt. *l. aut facta. de pœn.* vbi Bart. ne ſc. plebs innoxia improborum pœnis inuoluatur, in quo Dei Opt. Max. bonitatem Magiſtratus ſequuntur, qui non modo bonos cum improbis perire noluit, verum etiam ciuitatibus ac ſceleratorum hominum peccatis propter aliquot egregiæ virtutis ciues parcendum eſſe iudicauit. Quotieſcunque itaq; ſolus populus ſine conſenſu ſuperiorum deliquerit, punitur populus, ita vt pręcipua factionum capita puniantur, ne tota ciuium multitudo innocenter pereat, *cap. Romana.* 5. §. *in vniuerſitatem. de ſententia excommunicat. in 6.* Peccante enim populo adeoq; multitudine; cum non huius aut illius periculum, ſed multorum ſtrages vertatur detrahendum eſt aliquid ſeueritati, *c. conſtitueretur. in fin. 30. diſtinct. c. ordinationes, in fin. can. ipſa pietas. cauſa 23. quæſt. 2. c. ſane. de temporibus ordinand.* compluribus aliis iuribus, quę allegat Tiraq. in *tract. de pœn. cauſ.* 47. ſublatis nihilo minus è medio pręcipuis facinorum autoribus, qui pro ſuo ipſorum delicto recte puniuntur, vt cæteri exemplo deterreantur. *l. quoniam. 6. C. ad l. Iul. de vi publ. l. ſiue ex prætoriano. 3. verſ. priorib. eius militiæ. Cod. de execut. & exact. lib.* 12. vt de Carolo V. Gandauenſium exceſſus puniente legitur apud Bodin. *de Rep. li. 3. ca. 7.* vbi eorum defectiones & in-

& iniurias ſibi & maioribus ſuis illatas non tam crudeliter, quam prudenter vltus eſſe ſcribitur.

Quod ſi delictum omnino tale eſt, vt ad omnes perſonas extendatur, vt eſt crimen læſæ Maieſtatis, propter quod filii & nepotes puniuntur, *l. quiſquis.* 8. §. *filii. C. ad l. Iul. Maieſt.* magis eſt, vt dicamus ex eiuſmodi delicto congregata præſertim ſolenniter multitudine omnes puniri, adeoq; totam Ciuitatem ad patiendum aratrum condemnari, argumẽto *l. Polla.* 2. *C. de his quib. vt indig.* Bart. in *d. l. aut facta.* §. *fin. colum.* 3. *de pœnis.* Quod ſi vniuerſitatis conſilio ac fraude peccatum eſt, res ea, quæ eſt vniuerſitatis publicari debet, *l. iubemus nullam.* 10. *C. de ſacroſ. Eccleſiis.* ſi nihil eſt, quod publicari poſſit, pecuniæ mulcta irroganda eſt, ſed ab iis tantum exigenda, qui conſilium opemq; dederunt. *l.* 1. *de magiſtratibus conueniendis.*

Si nocentes ab innoxiis diſcerni nequeant, omnes pecunia puniendi ſunt, *de pace iuramento firmanda,* §. 1. *in vſib. feudor.* pœna verò corporea non eſt exigenda, niſi à ſingulis & vniuerſis grauiter peccatum ſit, *d. l. metum.* 9 §. *animaduertendum. quod metus cauſ.* ita Bodin. in *d. loco mihi fol.* 342. Quod ſi non quidem cõmiſit, ſed ratum habuit conſilium Ciuitatis ipſum delictum, res ſecus ſe habet; etſi enim quod meo nomine geſtum non eſt à

me

me ratum haberi non poſſit, Bart. in *l.* 1. *C. qui admitti,&c.& in l.* 1. §. *ſed & ſi de vi & vi armata.* Si tamen ratificatio facta ſit communicato conſilio & pulſata campana, res ſecus ſe habet, & vix eſt, vt aliqua admittatur excuſatio. Gl. in *l. aliud,* §. *refertur. de R.I. l. ſed & ſi.* §. *1. ff. de dolo,* qua in re circa facta momẽtanea, in quib. ſucceſſio temporis citra interuenientem alium actũm demõnſtratiuũ conſenſum indiſtinctè non inducit. Et inter ea, quæ habent tractum ſucceſſiuum, diſtinguitur, vt ſi populus perſeueret in expellendis & non admittendis ad regimen officialibus; quo caſu ſucceſſiua prohibitione ratificatio inducta cenſetur, Bolognetus hic *num.* 24.

Quod ſi non quidem vniuerſitas, ſed officialis deliquerit, etſi ex mala electione, adeoq; ex quaſi delicto, quod nõ magis idoneum & circumſpectum elegerit, teneri videatur, §. 1. & 2. *Inſtit. de obl. quæ ex quaſi delicto,&c.* Tamen non niſi duob. & quidem copulatiuè concurrentibus tenetur Magiſtratus, vel conſilium vniuerſitatis de homicidio vel alio delicto à ſuis miniſtris commiſſo, quorum alterum ſi defecerit, ratificatio ſubſecuta eſſe non dicitur.

I. Quod ſit maleficium commiſſum nomine Magiſtratus, cum alioqui illud ratum haberi non poſſit, *l. ſi pupilli.* 6. §. *ſed ſi ego. & ibi*

Bart

Bart. ff. de negociis geſtis. leg. ſi Seruus. 13. de precario.

II. Quod ratum habuerit tanquam nomine Magiſtratus geſtum. Nam ſi Magiſtratus oſtendet dolorem ſuum ex eiuſmodi infeliciore caſu conceptum, non eſt, quod mandatum ex actu tam contrario poſſimus elicere, Gl. & Bart. in *leg.* 1. *§. ſed etſi cum quis; de vi & vi arm.* facit *leg.* 3. *§. cum procurator. d. tit.* ibi; cum familia mea ſine me armata venit, ego non videor veniſſe, niſi iuſſi vel ratum habui. Sic nautæ & publicani, qui publicum exercent officium, à maleficio familiarium excuſantur, ſi eos exhibeant, *leg.* 1. *§. familiæ. & ibi Bart. de incendio, ruina & naufrag.* Qua de re videantur plura apud Henningum Göden *conſil.* 107. *mihi fol.* 314.

Quod ſi in ciuitate ſint aliqui potentiores, qui proprio arbitrio omnia diſponerẽt, adeo vt vniuerſitati nihil vel parum autoritatis eſſet reliquum; cum eo caſu non videatur habere animum delinquendi vniuerſitas, magis eſt, vt dicamus eam excuſari, per ea, quæ notat Bart. in *tract. de Tyrannide*, Bolognetus & Alciatus hic.

Neq; vero omittenda eſt huius legis practica: nam aut citanda eſt ciuitas ad pecuniæ reſtitutionem, quæ ſi debitum non neget, contra eam ad ſolutionem agendum

eſt.

eſt. Negante vero ciuitate ſe teneri, citandus eſt adminiſtrator, vt compareat ad aſſiſtendum cauſæ, ad eamq; inſtruendam inſtar venditoris, qui mota lite ſuper re vendita ad aſſiſtendum cauſæ, eamque inſtruendam citari conſueuit, *leg. ſi parentes. de euictionibus.*

Aut directo agendum eſt, contra adminiſtratorem implorando officium iudicis, à quo cogatur probare, quod pecunia in vtilitatem ciuitatis verſa ſit, de qua verſione ſi conſtet actori, facilis deliberatio eſt contra quem felicius experiatur, argumento *l. in creditore. de euict. l. ſi contendat. de fideiuſſ.*

Aut alternatiuè inſtituenda actio contra adminiſtratorem, vt ipſe pecuniam à ſe acceptam vel reſtituat, vel in vtilitatem ciuitatis verſam eſſe probet, quo caſu non vitiabit incertitudo, *l.* 1. §. *quia autem. ff. quorum legat.* aut deniq; adminiſtratorem & ciuitatem alternatiuè conueniat, hãc quidem ex mutuo; illum vero condictione ex cauſa proteſtando ſe velle proſequi eam actionem, quæ inſtituto ſuo recuperandoq; debito vel maxime ſit conueniens, *d.* §. *quia autem.*

Ad L. *creditor.* XXVIII.

CReditor, qui non accepit pignus idoneum, per hoc ſibi non præiudicat in reſidua ſumma, quin poſſit id petere, quod

ei

ei deeſt. Etſi enim is, qui ſibi prouidet ad prouiſionem legis fruſtra confugiat, *l. fin. Cod. de pact. conuentis*, cum ſibi imputare debeat, qui pignus ſufficiens non acceperit: tamen lex ſupplet, quod creditoris prouidentiæ defuit, text. eſt hic & in *l. quaſitum. 9. de diſtract. pignor. l. quæ ſpecialiter. 9. in fine. Cod. d. tit.* Vnde eum, qui eſt miſſus in poſſeſſionem bonorum debitoris, ſi ei reſiduum quid vltra, quam bona valeant, debeatur, nihilo minus ad capturam perſonæ agere poſſe, concludit Bart. in *l. conſentaneum. 8. C. quomodo & quando iudex*, cuius rei hæc aſſignari poteſt ratio, quod pignus detur fauore creditoris. *§. creditor. Inſtit. quibus mod. re contrah. oblig.* & exinde in eius odium retorqueri neutiquam debeat, *l. quod fauore. Cod. de legibus.*

Quo pertinet & huius quæſtionis deciſio, ſi ſcilicet debitor pro debito captus ſit, an ad primum & ſecundum decretum perueniri poſſit, & affirmatiue reſpondit Baldus, in *l. ignorare. in fin. C. de reſtit. in integr. per text. c. quoniam frequenter §. fin. vt lite nō conteſt.* cum captura perſonæ alia remedia creditori competentia non excludat: huius legis beneficium à Decio & Alciato hic recte limitatur in Ebræo fœneratore, qui cum omnibus etiam incognitis ſub vſuris mutuare ſoleat, & nullā fidem in obligatione perſonæ

ſonæ ponat, ſed de ſolo pignore confidat magis eſt, vt dicamus, eum abſolute accipere pignus pro debito principali.

Ad *L. ſi inſtitorem.* XXIX.

INſtitor pecuniam mutuam accipiens in eam cauſam, cui eſt præpoſitus, dominum obligat.

Etſi enim videatur teneri inſtitor, & non dominus; ex quo creditor cum eo contraxit, & non cum domino, *l. ſi vnus.* 28. §. *ante omnia. ſupra de pactis* qui quidem niſi pro inſtitore fideiuſſerit, non eſt, quod teneatur, *l. in eum* 19. §. *taberna. infra de inſtitor. act.* Tamen ea, quæ fiunt per adminiſtratores noſtros, obligant nos ipſos. Vel quod præſumantur fieri ex noſtra voluntate, tex. eſt hic, & in *l. vel vniuerſor.* 12. *infra de pignor. act.* Vel quod ille, qui contrahit cum inſtitore, videtur fidem domini ſecutus, §. *ſi igitur. Inſtitut. quod cum eo, &c.* Vel quod æquum ſit, vt qui ſentit commodum ex actu inſtitoris, is etiam ex ipſius contractu obligetur, *l. 1. infra de inſtitor. act.*

Cæterum quæ hic & alibi dicuntur de inſtitoribus, ad illos, quos hodie Factores vocamus, recte accommodantur, Decius & Iaſon hic. Mandellus *conſil.* 104. *num.* 5. *&* 6. In quibus ſecundum Bartolum duæ requiruntur qualitates.

I. Quod

I. Quod adminiſtratio ſit quæſtuaria, *leg. duo ſocietatem. 72. infra pro ſocio.*

II. Quod ſit vniuerſalis; vnde etiam videmus, quod morte mandantis non extinguatur mandatum inſtitoris, *l. ſi quis mancipiis. 17. §. 1. infra de inſtitor. &c.*

Quia vero de mercatore hic agitur, qui per inſtitorem ſuũ mercimonia exercet, nõ abs re etiam hæc quæſtio diſcutitur, an proprie facere videatur, qui per aliũ facit? quod affirmare videtur, tex. in *l. vnica. § ſin autem in faciendo. C. de caducis toll.* facit *l. certa. §. 1. de precar. cap. mulieres. de ſententia excommunicat.* qua de re videantur plura apud Tiraq. *de nobilitate, cap. 27. nu. 7. & in ll connubialib. verb. contracter. Gl. 5. n. 139.* Menoch. *de arbitrar. iud. caſu. 459.* Dynus in *c. qui cum alio. de regulis iuris. in 6.*

Ad L. *Qui pecuniam.* XXX.

QVi ſpe futuræ numerationis ſolutionẽ repromiſit, pecuniam recipere nõ cogitur tex. eſt hic & in *l. pen. quæ res pignor. obligari poſſ.* Etſi enim contractus mutui ſit contractus nominatus, in quo non habet locum pœnitentia, *l. ſicut 5. C. de act. & obl. leg. ſi pecuniam. 5. infra de condict. ob cauſam. leg. in commodato. 17. §. ſicut. ff. commod.* Quia tamen hęc promiſſio incerta & ſub conditione, ſi pecuniam mutuo accipiet, concepta eſt, magis

giseſt, vt dicamus cum Iuriſconſulto non teneri eiuſmodi promiſſorem ad recipiendum; cum ea, quæ ſunt in conditione, non dicantur eſſe in diſpoſitione, *l. ſi quis ſub condit.* 8. *infra ſi quis omiſſa cauſa teſtam.* Nec obſtat, quod modo pro ratione dubitandi allegatum eſt; quia in mutuo contracto obtinet, non etiam in contrahendo, in quo pœnitere licet. Qua occaſione quæritur, an ſicut is, qui ſe obligauit ſub ſpe futuræ numerationis, non cogitur pecuniam accipere teſte IC. hic; eodem modo creditor excuſatus ſit, qui promiſit mutuare vt inuitus non cogatur? Etiamſi autem ſtatutum in vno correlatiuorum etiam habet locum in altero, *l. fin. C. de indicta viduit. toll.* tamen hoc verum eſt data paritate terminorum, in quibus ſi aliqua inueniatur diſſimilitudo, non eſt, quod idem in vtroque ſtatuamus. Quia itaq; promittens creditori ſolutioné ſub incerta cõditione, ſi ſcilicet pecuniam mutuo accipiat, adeoque conditionaliter ſe obligare videtur, non eſt, quod pręciſè illum ad recipiendum vrgeamus; ſecus ſe res habet in creditore, qui ſine eiuſmodi ſequela mutuare promiſit; vnde ad dandum mutuo ſtrictius obligatus eſt. Ex quo apparet, re integra multa permitti, quæ alias non permitterentur, *l. ſi pecuniam.* 5. *cum ibi notatis. de condict. ob cauſam. l. filia.* 18. *C. famil. Herciſc.* & quod ver-

ba, quæ alioqui in pleniore ſignificatu accipienda ſunt, Cagnolus in *Rubr. Digeſtorum, ſi quis ius dicenti, &c. num.* 14.16.17. *per l.1. in fin. quod quiſque iuris, &c.* ſæpe improprie ponantur; imo interdum proprie & improprie, & quidem in vna eademque oratione accipiantur, *l.2. & ibi Gl. de offic. proconſul.* Cephalus *conſil.* 450.*n.* 55.

Cęterum cum agatur hic de debitore ſub ſpe futurę numerationis ſe obligante, multa congerunt Dd. hic de exceptione non numeratæ pecuniæ, qua qui vtitur, non tenetur probare ſuam negatiuam, ſed ea exceptio habetur pro probata, donec aduerſarius de numeratione fidem fecerit, *l. ſi ex cautione.* 3. *C. de non numerat. pecun.* Quod negat Weſenbecius *conſil.* 31.*n.* 23. locum habere in his terris, vbi ſcripturę recognitæ merentur paratam executionem: ſed loquitur in caſu ſpeciali inter mercatores, inter quos ex bono & æquo iudicatur reiectis iſtiuſmodi exceptionibus, quæ apices iuris concernunt, Iaſon hic *num.* 6. extra quem caſum dubium non eſt, quin hæ & ſimiles exceptiones executionem impediant; cum ſint exceptiones iuris, q; ſemper certũ eſt. Vnde ſtatim ſuper illis exceptionibus cognoſcendum eſt, Menoch. *de arbitr. iud. lib.*1. *quæſt.* 53. *num.* 4. plura de hac exceptione ſcituri videant Felin. in *cap. ſi cautio. de fide inſtrum.* Maſcard. *de probationibus.*

nib. volumine ſecundo. concluſ. 695. 1115. cum trib. ſequent.

Ad *L. Cum fundus.* XXXI.

INcerti condictio cum ſit ſtricti iuris actio, à tempore litis conteſtatæ acceſſiones debentur. Vnde videmus Reos iis actionibus impeditos non ſine cauſa tantopere abhorrere à litis conteſtatione; quippe quæ ex bonæ fidei poſſeſſore malæ fidei poſſeſſorem efficit, ita vt ad fructus, acceſſiones adeoque cauſam omnem præſtandam teneatur, textus eſt hic & in *leg. certum. 22. ſupra de rei vind.* Differtur itaque plerunq; litis conteſtatio, vt Reus interea fructus & commoda rei cõtrouerſæ percipiat, *l. videamus. 38. §. ſi actionẽ. infra de vſuris.* Quod ipſum tamen perpetuũ non eſt, quin interdum diſpenſationem admittat. Quid enim ſi ex contractu ſtricti iuris petatur, quod alioqui meum eſt, vt in rei vindicatione. Aut quod meum quidem iam non eſt, meum tamen fuit, vt in caſu *l. 2. C. de pactis inter empt. & vendit.* Quid ſi filia differret dotem conferre fratribus, vt in caſu, *l. filius. 5. §. filia. infra de collat. dotis.* Iis caſibus certe omnibus à tempore non quidem litis conteſtatæ, vt hic, ſed moræ fructus debentur.

Cæterum iudicium accipere, qua phraſi Iuriſconſultus hic vtitur, nihil aliud eſt, quã

litem conteſtari, textus eſt hic, & in *l. ſi Titius. 10. de verb. obl.* Licet enim lata quadam & impropria ſignificatione ante litis conteſtationem quandoque dicatur iudicium, vnde etiam confeſſio facta in iudicio dicitur, quæ initio litis emanauit, *l. voluit. 4. l. ſi defenſor. 10. de interrogat. act.* proprie tamen iudicium à litis conteſtatione incipit, *l. is qui ſe obtulit. 26. ſupra de rei vind.* Et quæ antea fiunt, procemia & præparatoria iudicii dicuntur. *§. fin. Auth. vt in med. lit. non fiant ſacr. iuſſ. collat.* 8. quæ res in cauſa eſt, quare Imperator citationem inſtituendarum actionum principium eſſe dixit, non etiam iudicii initium. *§. fin. Inſtit. de pœna temerè litigantium.* Plura ſcituri de accepto iudicio & litis conteſtatione, præſertim vero de eius effectibus videant Hotomannum, *lib. 4. obſeruat. cap. 5.*

Ad §. *Seruum tuum.*

VT huius §. difficultas commoda & diſtincta explicatione ſuperetur, ſciendũ eſt, ſeruos olim in duplici conſtitutos fuiſſe differentia. Aut enim erant ordinarii, quib. ad adminiſtrãda etiam maiora negocia idoneis committi ſolebat peculium. Aut erant vicarii ſub imperio ordinariorum vilibus & abiectis operis perficiendis deſtinati; hanc differentiam tradit Iuriſconſultus in *l. ſi ſeruus 18. cum l. ſeq. infra de pecul.*

Præ-

Præmiſſa hac diſtinctione ſciendum eſt, in hoc §. introduci quendam emptorem, qui à fure ſeruum tuum bona fide emerat, ſi is ſeruus vicarium durante fuga de tuo peculio ſibi abs te ante fugam commiſſo comparauit, quæritur, an tu poſſis vicarium à bonæ fidei poſſeſſore condicere? Et dubitádi rationem mouit, quod cum eo nunquam contraxiſti, ſed ex ſententia Sabini & Caſſii locum habere condictio ſtatuitur, idque ad euitandum circuitum, ex æquitate quadam admittitur; quo loco primum aduertendũ eſt, circuitum & non neceſſariam adeoque inutilem actionum multiplicationem eſſe euitandam, tex. eſt hic & in *l. dominus teſtamento.53. inf. de condict. indeb. l. ſi ita ſcriptum.37. & ibi Gl. de ſtatu lib. Clement. auditor. de reſcriptis.* Hoc volunt iura prouincialia harum terrarum, quæ paratam executionem decernunt ſcripturis recognitis ad arcendam Reorũ calumniam, *cap. vt calumniis. de re iud.* & præcidendas omnes moratorias ambages, quas debitor opponit ad litẽ ordinaria via proſequendam; quam poſtea emendicatis vel exceptionibus, vel dilationibus tam diu differt, donec vel moriatur aut ſaltem non ſoluendo efficiatur; cum tamen omnes fruſtratorias dilationes in materia litium amputare conueniat, *cap. finem litib. extra de dolo & contum.* Clement. *diſpendioſam. de iudic.* Quę

enim eſſet vtilitas iudiciario eoq; per multos annos continuando proceſſu petere, & tandem ſententia condemnatoria contra Reum executionem obtinere, *l.* 1. *l. poſtrem iudicatam.* 56. *de re iud.* quàm inſtrumentum ex autoritate iuris prouincialis vim iudicati habens alioqui mereri. Eiuſmodi quid eſt, quod etſi de iure ciuili in cauſis ordinariis ordo iudicii obſeruandus ſit, *l. prolatam.* 4. *C. de ſententiis & interloc. omnium iudic.* iure tamē Saxonico & inueterata notoria conſuetudine introductum & cautum eſt; Wo der Kläger mündlich klaget/ daß auch der Beklagte mündlich antworten muß/ *art.* 71. Landrecht *lib.* 3. & ibi Apoſtilla Zobelii ſub litera B. idem Zobelius in additione ad 3. *artic. lib.* 2. Kilianus König *cap.* 38. & 39. Cuius rei hæc aſſignari poteſt ratio, quod Actor & Reus ad imparia iudicandi non ſint, *cap. non debet. de R. I. in* 6. Eiuſmodi quid eſt, quod in iure etiā ciuili petitio & libellus differunt in cauſis præſertim mercatorum, Stracha in *tit. quomodo in cauſis mercator. procedendum ſit, parte* 3. *de libellis ſeu petitionibus. num.* 20. Item quod valet conſuetudo, quæ ex ſimplici facti narratione ac ſtatim & in continenti ſubſecuta reſponſione inducit litis conteſtationem, Mynſing. *cent.* 4. *obſeruat.* 62. Id quod etiam obſeruat praxis in curia prouinciali harum terrarum antequam litigatores iure experiun-

riuntur. Cuius laudatiſſimum morem inferiora tribunalia recte ſequuntur, §.*fin. Inſtit. de ſatisdat.* in qua ſi Reus fatetur, partes iudicis ſunt, vt ad ſoluendum condemnet, Kilianus *cap. 63.*

Quæ tamen iuris Saxonici diſpoſitio ita accipienda eſt, vt obtineat, niſi Reus cauſas alleget, cur non teneatur reſpondere, Landrecht *lib. 3. art. 30. & ibi additio ſub litera A.* Landrecht *li. 3. art. 39.* § Wenn man für Gericht. Aut ſi in citatione informatus non ſit, qua de cauſa ab actore conueniatur, Landrecht *lib. 2. art. 2.* cum in citatione neceſſario cauſa, vel tenor libelli inſeri debeat, Mynſing. *cent. 5. cap. 85.*

Extra hos caſus ſi reſpondere nolit, & tamen nihil exceptiue alleget, mulctatus ſententionatur, Landrecht *lib. 3. art. 39.*

Ex eodem fonte promanat, quod Gl. hic in verb. *vendicare.* & in verb. *euaneſcit.* de compenſatione adducit, cuius materia regulariter inuenta fuit ratione euitandi circuitus; quia intereſt mea potius non ſoluere, quam ſolutum repetere, *l. 3. de compenſat.* cum compenſatio vim ſolutionis habeat, *l. ſi debitor. 4. qui pot. in pig. hab. l. vel permutauit. 19. de liberali cauſa.*

Agitur itaque in caſu huius §. ad euitandum circuitum non contra venditorem, ſed contra bonæ fidei poſſeſſorem vtili condi-

ctione indebiti, ſecundum Gl. hic. Nec obſtat tex. in *l. ſi ſeruus.* 11. *inf. de acquir. rer. dom.* Quia in caſu illius legis res empta non quidem poſſeſſori, ſed ipſi ſeruo emptori fuit tradita; vnde cum ſeruus ex iſta traditione dominium conſequi non potuerit, nec dominus illud acquirere potuit. Cum interim in caſu huius §. vicarius poſſeſſori & non ſeruo ordinario ſit traditus. Deinde ſeruus, de quo in *d. l. ſi ſeruus.* agitur, nullum legitur habuiſſe peculium: ſecus in caſu huius §.

Cæterùm ex eo, quod Iulianus hic *videndum* aſſerit, interpretes eliciunt, vbi in aliquam partem proponitur quæſtio, nec expreſsè ad eam reſpondetur, quod intelligatur reſponſum ſecundum propoſitionem tex. eſt hic, & in *l. in reb.* 18. *in princ. verſ. ſed videndum. infra commod. l. quod ſæpe.* 38. *verſ. ſi res, infr. de contrah. empt.*

Deniq; ratione eorum, quæ de ſeruos hic dicuntur, noſtri interpretes ſeruos Monachis æquiparant. Iam ſi Monachus alicuius Monaſterii ex eo aufugiat, ſecumq; aliquas pecunias accipiat, & in aliud quoddam Monaſterium vnà cum pecuniis ſe conferat, ſi Abbas ignarus eſſe fugitiuum cum bona fide recipiat, isq; Monachus res aliquas ex pecunia ſecum ablata comparet; omninò idem ius eo caſu ſtatuendum eſt, quod hic in perſona ſerui ſtatuitur vt ſc. Abbas primi

Mo-

Monaſterii vindicet non tantum ſuum Monachum, ſed etiam res per eum emptas vnà cum pecunia extante condicat.

Ad L. ſi me & Titium. XXXII.

IN hac notabili ex medulla æquitatis deprompta lege Iuriſconſultus primum caſum proponit. Deinde dubitandi. Denique decidendi rationem ſubiungit. Et in ſumma hoc dicit, ſi res mea ad te peruenit, nec cauſa eſt, quare apud te manere debeat, eam certi condictione vel condictione ſine cauſa me recte poſſe repetere. Ex quo capite memini pronunciari pro hærede, qui cum aliquot annos abfuiſſet & domum reuerſus contra fratres in ædibus paternis viuentes, earumq; commoda percipientes ſine tamē vlla à tutoribus facta elocatione ageret. Etſi enim cum illis neq; à fratre, tum actore, neque ab eius tutoribus contractum erat, adeoq; ꝓbabiliter dubitabatur, ex quo capite contra eos poſſet oriri actio; quia tamen textus huius l. à Panormitano in *cap. graui. de reſtitut. ſpoliat.* & Bartolo in *l. & ex diuerſo. de rei vind.* ad fructus ex re alterius perceptos nō vſq; adeo incommode applicatur ſecundū huius l. æquitatem reſponſum fuit, & Rei ad fructuum perceptorum reſtitutionem condemnati ſunt. Cum æquiſſimum ſit, meam

meam pecuniam, quæ ad te peruenit, aut ſaltem fructus ex re mea perceptos, quibus tu factus es locupletior, mihi abs te reſtitui, tex. eſt hic & *l. perpetuo. 6. de condict. ob turp. cauſam.* vnde Baldus in *conſil.* 348. *factæ fuerunt. lib.* 1. reſpondit nobilem & diuinam eſſe huius legis æquitatem, quæ ſemper ob oculos mercatorum verſari debeat. Qua de re videantur plura apud Menoch. *de recup. poſſ. remed.* 4. *mihi fol.* 204.

Ad *L. Principalibus.* XXIII. *cum L. ſeq.*

PErpetui Officiales non prohibentur in vniuerſum contrahere, ſed tantum cum hominibus ſibi ſubditis. Temporales verò in vniuerſum contrahere prohibentur, niſi Reſp. aut neceſſitas aliud ſuadeat, tex. eſt hic & in *l. vnica. C. de contractib. iudic. l. non licet.* 46. *l. qui officii.* 62. *de cõtrah. empt.* Ratio diuerſitatis hæc aſſignari poteſt, quod circa temporales conſideretur mora parui temporis, in qua non eſt magnum præiudicium, *l. ſi debitori.* 21. *de iudic.* expectent ergo, donec officii tempore finito officio abeant, & tum cõtrahant: cum interim perpetui mora longi temporis magnum creet periculum, Salyc. in *l. eos qui.* 3. *C. ſi cert. pet.* & graue ipſis futurũ eſſet perpetuo hominum commercio priuari, *l. qui ſanctam fidem.* 3. *C. de apoſtatis.* Aut quia

quia temporales, alioqui ſunt plus ſatis attenti ad rem, & ſi permitteretur eis promiſcuè contrahere, multis rapinis feneſtra aperiretur, argumento *l. ſi per impreſſionem. C. quod metus cauſa.* Quarum legum diſpoſitio hodie non abſurdè extenditur ad milites, eorumq; Capitaneos, qui in exercitu hybernant, vel æſtiua tenent in aliqua ciuitate, vel prouincia; nam nec illi poſſunt negociari, vel bona immobilia, puta agros, rura, & ſimilia emere exceptis domibus. *l. milites agrum. 13. inf. de re milit.* Quod in tantum verũ eſt, vt etiã matrimoniũ contrahere nõ poſſint, *l. 1. C. ſi rector prouinc. &c. l. ſi quis officium. 38. inf. de ritu nupt.* vel quod metuerent Romani, ne prætor, proconſul aut præſes in prouincia fretus familiis & cognatis vxoris à ſe ductæ nouas res moliretur, & à Rep. tandem fieret alienior. Aut parum æquus eſſet & ſeuerus in iure dicendo; quippe qui ſuis affinibus magis, quã aliis gratificari cuperet. Aut deniq; vt libera manerent in prouinciis matrimonia, & ne poſſent Magiſtratus cogere quodammodo prouinciales ad matrimonia vel ſecum, vel cum ſuis ineunda. Filias tamen ei elocare non eſt prohibitum, *d. l. ſi quis officium. in fin.* ne ſc. præcidantur ſexui muliebri occaſiones de marito prouidendi: quam alioqui pater ratione paterni officii aucupari tenetur, *l. qui liberos. 19. ff.*
de ri-

de ritu nupt. Melius quippe erat mulierib. propter ſexus fragilitatem, quã maribus ſubueniri, *l. cum multa. 20. §. 1. C. de donat. ante nupt* quod impudicitia ſit multo deteſtabilior & fœdior in muliere, quã in viro, Gl. in *can. Epiſcopus. §. ſi qua cum ſeruo. cauſa. 12. quæſt. 2. verb. capitali. facit l. ſi qua illuſtris. 5. C. ad Orſic. Ecclesiaſtici, 2. & 6. cap.* Gl. in *cap. debitum. 5. verb. cognitam. de bigamis non ordin.* Qua de re videantur plura apud Tiraq. *de ll. connubialib. Gl. 1. parte 2. num. 42. mihi fol.* 10.

Eiuſmodi quid eſt, quod tutor vel curator non poſſit ille quidem filium ſuæ pupillæ etiã adultæ in matrimoniũ collocare, *l. ſi tutor. 7. C. de interd. matr.* poteſt tamen filiam filio dare iam adulto, *l. libertum. 64. de ritu nupt.* ne ſc. quoquo pacto protrahãtur filiarũ nuptiæ, in quibus timor eſt infamiæ & turpitudinis in ſe totamq; ſuam familiam magis, quã in maſculis. Rationes decidendi quare officialibus cum ſubditis indiſtinctè contrahendi poteſtas permiſſa non ſit, variæ afferuntur ab interpretibus: quidam ſola legis prohibitione contenti ſunt, quod legis prohibitiuæ pedemq; figenti acquieſcendũ ſit, Gl. in *l. ſi nõ fuerint. verb. ſed damnũ. inf. pro ſocio.* Quidam metum impreſſionis & concuſſionis allegant, ne ſc. ſubditi terrore vel inducantur ad contrahendum vel à contrahendo abſtineant, & adigantur vẽdere,

dere, quod ipſis venale non eſt, vel vilius vẽdere, quã rerum valor exigit, vel emere ea, quibus non indigent, *l. ſi per impreſsionem.* 11. *C. quod metus cauſa. l. vnica. C. ſi rector prouinciæ, &c. l. defenſionis facultas.* 7. *in fin. C. de iure fiſci: lib.* 10. De hac ſecunda decidendi ratione differit Cuiacius *lib.* 16. *obſeruat. cap.* 13. Quidam officii ſemel ſuſcepti rationem cauſantur, cuius adminiſtrationi vacare, non etiã fœnori inhiare officiales debeant, argumẽto *l.* 1. *C. ſi rector prouinciæ.* cum nemo duobus dominis ſeruire Deo & Mammonæ, *Mat.* 3. adeoq; officiũ adminiſtrare & fœnus exercere poſſit, *l. fin. C. de aſſeſſoribus.* Neq; enim credendum eſt, vnum recte duobus officiis ſufficere; cum ſi vni incumbit ab altero diſtrahi neceſſe ſit, *d. l. fin. C. de aſſeſſ. Auth. vt iudices ſine quoquo ſuffrag. §. illud tamen.* Quod procedit in iis, quæ nullam habent inter ſe ſimilitudinem, ſed adeo diuerſa ſunt vt alterum ab altero impediatur, vt ſunt negociationes fœneratitiæ & publicorum officiorum adminiſtratio. Item vt vno & eodem tempore non poſſit quis vacare duobus officiis, ſed ſi diuerſis exerceantur temporibus & aliquam inter ſe habeant ſimilitudinem, nihil obſtat, quin duo vel plura ſimul poſſint expediri munia. Dd. in *d. l. fin.* Qua de re vide plura apud Decianum in *Apologia contra Alciatum cap.* 12. *num.* 6. 7. 8. *cum ſeqq.*

Cæte-

Cæterum non ita indiſtinctè harum legum diſpoſitio extendenda eſt ad officiales, qui officia adminiſtrant in loco ſuę originis, qui nihilo minus poterunt contrahere; cum maior ſit pro iis præſumptio, quam pro extraneis, *l.eas.65.inf.de ritu nupt.* vbi Officialis in loco originis non prohibetur contrahere matrimonium. Quæ res exemplo ſit gubernatoribus, vt indigenas potius, quam aliunde conquiſitos officiales gubernationi præficiant; cum leges de peregrinis nihil boni præſumãt, ideoque eis cõtractib. interdicant. Quanquam ſi quis laudabiliter gerit officium, non ſemper recte quæratur; vnde nam ſit? Felin. in *cap.cum deputati.num.*1. *de iudic.*

Ad *L.Periculum.XXXIV.*

CVm ſæpe fiat, vt pupilli totam ſuam ſubſtantiam in nominibus habeant, *l.Sticho.*40. *§.quæro.inf.de ſtatu libe.* per q̃ hoc loco intelliguntur fœneratitiæ cautiones, *l.fin.C.de pactis cõuent.* & etiãſi optima ſint, tamẽ nõ appellando peſſima fieri poſſunt, Apoſtilla Pacii ad *leg.*1.*infra ad Macedon.* Danda eſt opera tutoribus & quidem omnibus indiſtinctè adminiſtratoribus, vt in iis exigendis diligentes ſint; cum imputandum ſit ei, qui cum facile poſſet obtinere, non cura-

curauit petere, per ea, quę allegat Decianus *conſil.* 51. *& prima fronte. numero* 99. *volumine ſecundo*.

Etiamſi enim ad onus reddendarum rationum non videbatur pertinere quod debitores non eſſent ſoluendo, *leg. Caius.* 47. *in fin. de fideicommiſſ. libert*. Tamen nominum, quæ deteriora facta ſunt tempore, periculum ad curatorem pertinet, quæ vero antequam curator fieret, idonea non erant, æquum eſt ad eum periculum non pertinere, *leg. Imperatores. 9. Digeſt. de adminiſtrat. rerum ad Ciuitat. pertinent*. Vnde cautum eſt, quod adminiſtrator non poſſit prorogare terminum ad ſoluendum ipſis debitoribus, *leg. qui Romæ.* 122. *§. Callimachus. de verb. obl.*

Cæterum negligentia, quam in hac lege Iuriſconſultus periculo debiti mulctat, in omnium ordinum hominibus reprehenditur. In noſtris eſt nouerca eruditionis, *can. nihil.* 83. *diſtinct*. Gloſſa in *cap. ad diſtinctionem. verſ. ſollicitudo. §. ipſis. de verborum ſignificationibus*. In iudice operatur, vt eapropter ab officio remoueatur, *leg. ſi quos.* 3. *Codic. de offic. præfecti. prætor. Or.* vbi euidenter oſtenditur, non eſſe dandum coadiutorem iudici negligenti, ſed eo remoto eius vice alium ſurrogan-

gandum. Quod adeo verum eſt, vt ne quidē hora Syndicatus expectari debeat; cum melius ſit in tempore occurrere, quā poſt acceptum vulnus medelam quærere, *leg.* 1. *Cod. quando liceat ſe ſine iudice vindicare.* Qua tamē in re aduertendum iudici eſt, ne nimis ſtrictè agat, vt ſi in leuibus condemnationibus pronus ſit ad tranſmittenda in fiſcum etiam pannicularia, id eſt, leuia quædam, de quibus Iuriſconſultus in *leg. Diuus.* 6. *de bonis damn.* Quæ in publicatione non veniunt, excuſatus enim eſt, modo in ſuum vſum non conuertat, alioqui nimię diligentiæ vel ſtrictioris iuſtitiæ iudex appellabitur, teſte Iureconſulto in *d. l. Diuus.* Hoc eſt illud viri ſapiētis: *Noli nimis eſſe iuſtus, cum ſanguinem eliciat qui nimis emungit. can. denique. diſtinct.* 4. Vnde dixit Iuriſconſultus multum intereſſe inter inſolentiam curioſam & diligentiam non ambitioſam, *l. ſi bene collatæ.* 33. *infra de vſuris.* & extat in hunc ſenſum iocus apud Ciceronem *lib.* 2. *de orat. mihi fol.* 134. ibi: *non amo nimium diligentes.*

Tertio in tutore, procuratore, adeoque omni alio adminiſtratore, adeo negligentia vituperatur, vt eam propter officio recte remoueantur, *leg. eum. qui* 3. *Cod. de procurat.*

Quarto in Prælato Eccleſiæ, qui ſi negligens & remiſſus fuerit, non ſolum ab offi-

officio remouendus, ſed & alio modo caſtigandus eſt, *cap. cum ad Monaſterium. 6. §. fin. de ſtatu Monachorum. can. dictum. diſtinct.* 81. Vnde Prælatus ſi fuerit negligens in collatione beneficii, facit illud deuolui ad ſummũ Pontificem, *cap. liceat. cap. literas. cap. fin. de ſuppl. neglig. Prælat.* Quod tamen accipiendum eſt de magna negligentia, *l. magna. 226. de verb. ſign.* cum propter levem aliquam negligentiam nemo ab officio remouendus ſit, Gl. in *cap. ea quæ 3. verb. negligentia. de offic. Archid.*

Eſt enim triplex negligentia: alia eſt magna, *d. l. magna. de verb. ſignif.* alia diſſoluta, *l. fideiuſſor. infra mand.* alia lata, *l. impuberib. §. ſi fraus. de ſuſpect. tut. l. ſi quis. C. de offic. præf. prætor.* Ratio huius in negligentes conſtitutæ pœnæ eſt; quia voluntati comparatur negligẽtia, Iohan. Andreas in *cap. generali. num. 3. de elect.* vnde ignorans non poteſt dici negligens. Abbas *cap. 1. num. 2. de præſcript.* Qua de re puta negligentia, plura ſcituri legant Sebaſtianum Medices in *tract. de fortuitis caſibus, parte 1. quæſt. 9.* Et de argumento huius legis videantur plura apud Hartmannum Piſtoris, *parte 1. quæſt. 49.*

Ad L. *Pecuniam. XXXVI.*

PVra obligatio ſub conditione in perſonã tertii ex interuallo collata interea ſuſpẽditur, nec vigore illius quid poteſt exigi,

conditione vero exiſtente nouatur. Etſi e-nim videbatur dicendum contrarium, cum actus purus ob conditionem interim ſuſpẽdi non debeat, *l. purè*.15. *in princ. de doli except.* tamen in ea lege propter cautionem, quam dat hæres legatario, illud ita conſtituitur. Alioqui extra cautionem actus purus ſuſpẽditur, niſi aliter actum eſſe appareat, argumento *l. ſi legatum*.10. *de ad. legat.* vt in hoc caſu, in quo non eſt veriſimile, te mihi purè obligatum Titio ſub conditione promittẽtem vtriq; velle eſſe obligatum, *l. bona fides*. 58. *de Reg. Iur.* ſed alterutri duntaxat, idque ſecundum conditionis euentum, *l. quod ſeruius*. 8. *de condict. cauſa data.* Si ergo purè mihi debitum pendente adhuc conditione, qua illud Titio promiſiſti, petam, ante tempus petere dicor: idcirco inducias eius temporis duplicare teneor, Gl. fin. hic quæ pœna in eos, qui ante diem petunt, iure ciuili conſtituta. *§. hodiè. Inſtit. de except.* ad eos, qui ante conditionis euentum agunt, per ius Canonicum extenſa eſt, *cap. 1. in fine. de plus petitionibus.*

Cæterum argumentum à contrario ſenſu, quo Lauolenus hic vtitur in iure eſt fortiſſimum. *l. 1. §. huius rei. de offic. eius cui mand. eſt iuriſd. l. qui teſtamento*. 20. *§. mulier. de teſtam.* maxime in interpretatione vltimar. voluntatum, Decianus *conſ.* 1. *n.* 27. 151. *vol.* 1. item in ſta-

in ſtatuto vel conſuetudine, Tiraq. *de retractu conuentionali §. 2. Gl. 1. num. 2.* Vnde quod ex contrario legis ſenſu colligimus, perinde haberi ſolet, quaſi aperta lege cautum eſſet, *l. ſi procuratorem. 8. §. ſi ignorantes. infra mandati. l. ſi quis locuples. 57. in fi. infra de manumiſ. teſtam.* Sic mulier adulterii damnata teſtis eſſe prohibetur: & exinde ducto argumento à contrario ſenſu regulariter ad dicendum teſtimonium admittitur, *l. ex eo. 18. infra de teſtib. l. qui teſtamento. 20. §. mulier. infra de teſtam.* Vt ita quod in vno dicitur, in reliquis denegetur, & è contra, *l. cum prætor. 12. de iudic.* quod verum eſt in diſpoſitione legis & hominis, ſiue in iudiciis, ſiue in contractibus, *l. Pomponius. 40. ſupra de procurat.* ſiue in vltimis voluntatibus. *l. Lucius. La. 2. de hær. inſtit.*

Niſi tamen ex ea argumentandi ratione vel legum correctio, vel abſurdum aliquid ſequeretur, *l. 2. C. de condit. inſertis. l. conuenticula. 15. vbi Baldus. C. de Epiſc. & Cler.* ſic in *l. magiſtratibus. 12. ſupra de iuriſd. omnium iud.* vbi Magiſtratus municipalis ſupplicium à ſeruo ſumere prohibetur, non eſt à contrariis ducenda argumentatio: vt quia de ſeruis denegatur Magiſtratibus municipalibus ſupplicium, in liberos illis conceſſum videatur, argumento *l. 1. §. huius rei. ſupra de offic. eius. &c.* cum in liberos homines ne quidem modicæ coercitionis ius habeat iſtiuſmodi

Magiſtratus, *l. ſi priuatus. 17. infra qui & à quib. &c.* vnde quod de ſeruis ſolũmodo expreſſum eſt, non eſt ad liberos trahẽdum, quod illi à lege pro mortuis & nullis habeantur, *l. quod attinet. 38. de R. I.* In vſibus etiam feudorum ceſſare hoc argumentum ſenſit Iaſon in *l. de quib. num. 15. ſupra de legib.* item in diſpoſitionibus negatiuis ſeu priuatiuis, Bl. in *l. 2. C. de condit. inſertis.* Iaſon in *l. 1. num. 54. ſupra de eo cui mand. eſt iuriſd.* Sed nec in iis locum habet, quando vel in ſenſu contrario eadem eſt ratio, quæ in ſenſu directo vel quando inducta in vnum finem, contrariũ operantur effectum, Crauetta *conſ 39. proponitur in facto. num. 7. & 8.* Quibus omnibus etiã hoc addendum eſt, hoc argumentũ nõ quidem ex propria verborum ſignificatione, ſed ex mentis coniectura & interpretatione ſumi. textus eſt hic in verb. *tanquam ſi ſubcontraria conditione.* & in *l. apud antiquos. 21. C. de furtis. can. qualis. diſtinct. 25.* Qua de re videantur plura apud Manticam *de coniect. vlt. vol. lib. 3. cap. 15. 16. 17.* Decianum *conſ. 32. tametſi putem dubia. num. 11. 12. cum ſeqq. vol. 1.* Felin. in *cap. ſignificaſti. de foro compet. num. 10. 11. 12. 13.* & nouiſſime Camillum Gallinium *de verb. ſignif. lib. 8. cap. 10. 11. 12. 13. 14. 15.*

Ad *L. cum ad præſens. XXXVII. cum duab. ll. ſeqq.*

Con-

COnditio de præſenti non ſuſpendit a-ctum,ſed conuentio iuxta conditionis vel veritatem, vel falſitatem aut ſuſtinetur aut corruit,tex.eſt hic & in *l.conditio.* 100. *infra de verb. obl.* Etiamſi enim apud homines dubium eſt,an hoc vel illud verum ſit, nec ne:tamen in rerum natura dubium non eſt, tex. eſt hic in *l.reſpiciendum.* 38.

Ex quo infertur à Doctoribus hic, licet pura ſtipulatio cauſam non habens per doli exceptionem elidatur, *l.* 2. §. *circa. de except. doli.* quod tamen in conditionali ſtipulatione res ſecus ſe habeat, in qua ipſa conditio pro cauſa habetur, *l. à Titio.* 108. *vbi Dd.de verb.obl.* vt promittis centum, ſi nauis mercibus onuſta ad portum ſalua appulerit, *l.in naue.*34.*vbi Caſtrenſis.infra locati.* Inde Papinianus in *l.ſirem.*19.§.*fin.de præſcr. verb.* eum, qui ſponſionis cauſa annulos accepit, victori reddere debere, alioqui præſcriptis verbis teneri definiit. Quod eo magis verũ eſt,cum hiſce in caſibus nulla verſetur turpitudo, ſicut in aleæ chartularumq; luſu, qui ad euitandam diſſidiorum blaſphemiæque occaſionem lege ſunt prohibiti, *Auth. alearum.C.de relig.& ſumpt.fun. cap.pen. de vita & honeſt.cleric.* Plura de hac re videantur apud Zaſ. in *l.à Titio.*108. & in *l. vtrum turpem. infra de verb.obl.*

Ad *L. Lecta.* XL.

CElebris eſt huius l. partim difficultas, partim obſcuritas, quæ tanta eſt, vt vulgi dicterio occaſionem dederit, nempe *leg. lecta.* hactenus à paucis intellectam eſſe.

Ad quam difficultatem ſuperandam aut certè minuendam primum præmitto, quod pacta contractibus in continenti adiecta dicantur informare contractum, hoc eſt, formam dare vel certos fines præſtituere, ad quos actio porrigatur, *l. iuriſgent. 7. §. quin imò. ſupra de pact.* Vnde non abſurde ii, qui dicunt informare hoc caſu eſſe extendere, nõ quidem ex vi verbi informo, ſed ex effectu, cũ data contractui per pactum forma actio ex contractu ad deducta in pacto extendatur, *d. §. quin imo.* Pacta autem ea ſolummodo informant contractum, quæ initio contractus adeoque in continenti fiũt cõtractu nondũ abſoluto, *d. §. quin imo.* & *§. vt puta.* Et ſicut leges publicas impune nemo violat; ita neque hæc pacta, quæ ſunt quaſi leges quędam priuatæ contractui appoſitæ, *l. venditor 14. ff. cõmun. præd. l. ſi ſterilis. 22. §. ſi tibi. infra de act. empti.* Qua de re videantur plura apud Forcatulũ *dialogo* 89.

Deinde cum Bologneto textum ſatis prolixum nec parum obſcurum facilioris intellectus gratia in 7. partes diuido: in quarum

prima

prima refertur à Iuriſconſulto locus,in quo agitata fuit hæc quæſtio,nempe Conſiſtorium Papiniani,quæ circũſtantia arguit difficultate huius quæſtionis,quippe: gitatæ in Tribunali præfecti prætorio, cui aſſidebant doctiſſimi Iuriſcõſulti, in quo cauſas agebãt diſertiſſimi aduocati. Quod etiam commẽdatur autoritate præfecti prætorio, qui fuit acutiſſimi ingenii homo, *l. cum acutiſſimi*.30.*l. cum virum*.15.*Cod.de fideicommiſſ.* Et licet variauerit eligendus, *l. finali.§.fin.C.de furt.*

In ſecunda refertur totum thema quæſtionis, vel formula ipſius cautionis, in qua habentur duæ ſtipulationes, & vnum pactũ nudum: prima ſtipulatio continet mutuum de quindecem millibus & promiſſionem de ſoluenda hac pecunię ſumma Calend. Maii, adeoque in vno termino: altera agit de vſuris ſoluendis à die moræ, nempe vno floreno pro quolibet centenario ſingulis menſibus. Tertio adiicitur pactum nudum, per quod fuit receſſum à prima ſtipulatione de ſoluendo totam ſummam in vno termino, ſed fuit conuentum de ſolutione facienda pluribus terminis; in quibus tamen à paupere & obærato, ideoque moroſo debitore non fuit factum officium; cum terminis ſolutioni deſtinatis elapſis neque ſortem, neque vſuras ſolueret. In tertia proponitur ipſa difficultas, quæ ſummorum Iuriſconſul-

torum ingenia exercuit. Circa hanc conſiderantur duo contrahentes, alter creditor, alter debitor. Creditor apparet ex ſumma vſurarum in ſtipulationem deducta, quæ eſt immaniſſima, fuiſſe maximæ auſteritatis. Debitor videtur ſibi per pactum poſterius prouidiſſe, adeoque dexterius ſapuiſſe auaro iſto creditore, qui tamen conſentiens illi pacto forte inuitus, vel ignarus tanti præiudicii humaniſſime tandẽ egit cum ſuo debitore. Sicuti enim debitor ex prima ſtipulatione menſem tantummodo habuit, ad eoque exiguum temporis ſpacium ſolutioni deſtinatum & elapſo menſe necdum facta ſolutione ex ſecunda ſtipulatione grauiſſimum vſurarum onus ſibi imponi paſſus eſt. Ita nunc ratione pacti in continenti contractui adiecti habet menſes nõ ita paucos, quibus tota ſors eſt perſoluenda, cum quolibet menſe numerentur trecenta. Quod cum iniquiſſimum videretur creditori, qui prioribus duab. ſtipulationibus nitebatur, ad velitationes diſputationum peruentum eſt, & cauſa ventilata in Cõſiſtorio Papiniani præſentibus aſſeſſoribus Vlpiano & Paulo Iuriſconſulto. Creditor idemque actor petebat ſortem integram & vſuras ad rationem ſtipulationum allegans; cum ex ſtipulatione integra ſors & quidem in vno termino & in caſu deficientis ſolutionis quolibet menſe

vnus

vnus pro centenario, adeoque centeſima vſura ſoluenda ſit, eam ſummam ſibi ita deberi.

Debitor idemque Reus conuentus pactũ nudum contractui adiectum allegabat, per quod à ſtipulationibus receſſum eſſe dicebat, & cum primo menſe non niſi ad trecentum teneretur, non potuiſſe ſe in mora niſi ratione illorum trecentum à ſe non perſolutorum conſtitui, & ita ſingulis menſibus ſucceſſiue. In quarta parte refertur ratio decidendi, quam ſtatim ſubſequitur ipſa deciſio, in qua pro Reo pronunciatur, quod ſcilicet neutiquam teneatur, niſi ad vſuras ſortis quolibet menſe numerandæ perſoluendas. Etſi enim actoris eiuſdemque creditoris aduocatus inſtructus variis reſponſionibus allegabat verba ſtipulationum tã principalis, quam pœnalis manifeſtiora eſſe quę per pactum mutari poſſint, §.1. *Inſtitut. de replicat.* & dato, alteratam eſſe per pactum ſtipulationem ſortis: integram tamen manere ſtipulationem vſurarum, quarum in pacto ne verbo quidem facta ſit mentio. Quia tamen Reus dicebat, per pactum ipſo iure ſublatam fuiſſe ſtipulationem non tantum ſortis, ſed etiam vſurarum, quæ acceſſoriæ ſolummodo & in quandam, quod aiunt, cõſequentiam veniebãt ad ſortem Iulius Paulus ſuper hac difficili quæſtione à Papiniano

ro conſultus eam ita definit, vt per pactum ab vtraque ſtipulatione receſſum eſſe adeoque vſuras ſecundum formam pacti præſtari debere ſtatuat. Huius ſuæ deciſionis hanc aſſignat rationem, quod pacta in continenti adiecta contractui ipſi contractui inſint, à contractu veſtiantur, nôn ſecus ac ſi eſſent cõtractus principales, & ita perinde cenſeri debeat, ac ſi aliquis certam pecuniam ſtipularetur per ſingulos menſes, & vſuras adiiceret, ita quidem vt ſi debita ſumma ſingulis menſibus non ſoluatur vſura pro illa particula ſortis debeatur.

In quinta parte referuntur allegationes ab Aduocato creditoris factæ. Et Vlpianus, quod ille iis ad ſtipularetur, ſed ſuppreſſo eius nomine, & quidem ſub numero plurali obliquè perſtringitur: cuius modeſtiam imitari debent bene à natura, melius à doctrina informati homines, vt ſi à quo diſſentiant in ſcribendo, nunc in ſingulari, nunc in plurali loquantur, ne videantur intemperãtius notare aduerſarium.

In ſexta parte habentur reſponſiones ad ea allegata, vt quod non ex omni tempore menſium moram fecit debitor, & exinde totius temporis vſura peti non poſſit, cum vſuræ ex mora veniant, quæ à debitore in aliis menſib. nõdum commiſſa eſt, adeoq; ab eo vſurę non rectè petuntur, Itẽ quod diuer-

ſa

ſa ſententia obtinuerit, ita vt pactum in fauorem Rei adiectum proſit ad actionem limitandam & reſtringendam, adeo vt cũ petere non poſſit niſi ſecundum formam, quã ei pactum præſcribit; vnde conſequenter in hac ſexta parte cõcluditur, pacto illo, quippe in continenti appoſito, reſtringi vtramque ſtipulationem tam eam, quæ ſortem principalẽ, quam eam, quę vſuras cõcernit, vt neque illa, neque hæc poſſint exigi, niſi ſecundum formam à pacto ſubſequenti traditam.

In ſeptima ſaluatur opinio aduerſariorũ in vno caſu, & dicitur vſuras etiam ante moram deberi poſſe, ſi ita conuentum fuit, vt ſecuta mora retrò pro tempore ante moram vſuræ debeantur. Id quod exemplo à fructibus petito hic declaratur: vt ſi promitto tibi dare vineam intra ſemeſtre, & niſi dedero, promitto fructus interea ex vinea collectos; certè ſi vineam conſtituto tempore non dedero, tenebor non tantum ad fundum, verum etiam ad omnes fructus interea ex ea collectos tibi reſtituendos.

Sicut itaq; eo caſu teneor ad fructus ante moram; ita ſi promiſero tibi centum ad annum ſoluere, & niſi ſoluam pro quolibet menſe dare florenum, pendente quidem anno ad menſtruas vſuras non teneor, ſed ſi conſtituto termino non ſoluero, ad præteriti

riti etiam temporis, adeoq; omnium menſium vſuras vigore ſtipulationis tenebor.

Ex quibus omnibus apparet, pacta in cōtinenti appoſita contrariantia contractui reformare ipſo iure ſtipulationem principalem & acceſſoriam, ita vt actio niſi ſecundum formam per pactum impoſitam non competat. Etſi enim pactum, cuius in hac lege fit mentio, de ſola ſorte, non etiam de vſuris loquitur, ad quas ea propter extendi non debet, *l. ſi vnus.* 28. §. *ante omnia. ſupra de pact.* præſertim cum pactum nudum ſit debile & ſtipulationem geminatam, adeoque contractum firmiſſimum ipſo iure tollere non poſſit. Quia tamen negari non poteſt, per pactum ſubſecutum à prioribus ſtipulationibus receſſum fuiſſe, determinat Paulus hic, debitorem ad vſuras integræ ſortis quolibet menſe ſoluendas non teneri, cum quidem in iis, quæ acceſſoriè, ſiue in conſequentiam veniunt, pactum ſuper principali ad acceſſorium trahatur, Gl. in *d.* §. *ante omnia. verb. noceat. in fin. per l. fideiuſſoris.* 24, *cum l. ſeq. d. tit.* Et pactum in continenti contractui appoſitum tantum roboris & efficaciæ ſit, vt ſtipulationi præponderet, tex. eſt hic, & in *l. vbi ita donatur.* 27. *de donat. cauſa mortis.*

Explicatis hiſce tricis & difficultatibus, multa in hac l. conſideranda ſe offerunt. Primum eſt de auditorio, quod accipitur

pro

pro loco, in quo legitur & auditur, Dd. in *l. 1. C. de ſtud. liberalibus vrb. Romæ. l. 2. §. pen. ſupra de or. iur. l. cum ſcriptum. 7. infra de dote praleg. l. eum qui certarum. 136. infra de verb. obl.* Deinde pro loco, in quo redditur ius, tex. eſt hic & in *§. ſi vero iudex. Auth. de iudicib. l. contra pupillum. 54. §. 1. de re iud. l. cum in fundo. 81. §. fin. de iure. dot. l. mulier. 22. in princ. ad Trebell.* Tertio ſignificatu accipitur pro loco, in quo IC. de iure reſpondebant, ſed non iudicabant, *l. Titius. 50. in princ. infra de act. empti.* Qua de re videantur plura apud Iacob. Curtium *lib. 2. εἰκαστῶν. cap. 43.*

Secundo difficultas huius à litigatoribus propoſitæ & à Papiniano eiuſq; aſſeſſoribus legaliter deciſæ quæſtionis occaſionẽ prębet diſquirendi, an literarum & legum ignarus officio iudicandi rectè præficiatur? Et certe verecundia eſt, quenquam iudicare, cui non ſit legum peritia, §. 1. *Auth. de iudicib. cap. 1. de conſang. & affinit:* cum quidem ſcientia inſufficiens, vitę inhoneſtas & ætas illegitima æquiparentur, *cap. nihil. 44. de elect. cap. poſt translationem. 11. §. item ſi quis de renunciationib.* vbi illiteratus æquiparatur cæco: quem tamẽ officio iudicis fungi poſſe ſunt, qui exiſtiment, *l. 1. §. quãuis. de poſtul. l. cæcus. 6. de iudic.* Quod quale ſit, videatur apud Robertum Aurelianenſem *lib. 3. ſententiar. iur. cap. 23.* Duarenum *lib. 1. diſputat. iur. c. 23.*

Vnde

Vnde non deſunt, qui de hac re ita ſentiant itaq; differant, difficilimam Reip. gubernandæ ſcientiam ſine literis vix poſſe nos aſſequi; cum breuius ſit vitæ humanæ ſpacium, quã vt diuturna regionum peragratione & varia cognitione populo id obtineamus, quod ſine libris Lycurgo, Soloni & Vlyſſi contigit, Bodinus in *methodo hiſtorica, c. 4. mihi fol.* 38. Ex quo probabiliter conſtat, ignorantiam literarum in iis, qui præſunt & iudicant, nec excuſatione dignam eſſe, nec venia, *can. ſi in Laicis. diſtinct.* 37. præſertim in iudicibus Eccleſiaſticis, ad quos deuoluuntur negocia conſcientiam concernentia, vt matrimonii & hæreſeos; in quibus vel maximè cautè agendum eſt, ne ſuæ poteſtatis metas iudex excedat, & quod in augmẽtum fidei ſalubriter prouiſum eſt, dum ſub pietatis ſpecie grauantur innoxii in fidelium detrimentum impiè conuertãt, *Clement. 1. de hæret.* Et certè hac ratione non tantum illa honorum dignitatumq; decora, quæ maximo ad ſtudia amplectenda cuique incitamento ſunt, vileſcent, ſi ſine ſudore & puluere obtineri poſſint, & diuina humanaq; iura impune ignorare liceat, vt interim omittam, eum non tantum, qui dolo malo, ſed & qui per imperitiam malè iudicaſſet, litem ſuam facere; *l. vlt. infra de variis & extraordinar. cognit.* ea proculdubio ratione,

tione, quod nemo affectare debeat, in quo intelligit alii infirmitatem ſuam periculoſam futuram, *l. idem iuris. 8. ſupra ad l. Aquil.* & nulla probabilior excuſandi cauſa ſit, quã ſe oneri iniuncto imparem profiteri, *l. pen. infra de vacat. & excuſat. muner.* Sed nihilo minus de conſuetudine ita obſeruari videmus, vt grauiora officia qualia ſunt Poteſtates in Italia, & Magiſtratus prouinciales in Germania, iis committantur, qui non quidem exacta legum cognitione, ſed cauſarum ſecularium experientia, quæ interdum plus operatur, quã theorica, inſtructi ſunt, *§. ordinatione. Auth. de Monachis.* Quibus ſuffragatur Gloſſa in *cap. ſuſcitatus. 13. verb. impedimento. de reſcr.* & tradunt Dd. in *l. expertes. C. de decurionib.* neq; obſtat *l. certi. 15. C. de iudic.* quę loquitur de hominibus militaribus, non quidem omnino imperitis, ſed & rei militaris & iuris peritiam habentibus. Nec obſtat *§. 1. Auth. de iudicib.* qui loquitur de ſpecialibus vrbis Romæ iudicibus, neq; de illiteratis nullam iudiciorum experientiam habẽtibus: & ſi iudex militaris imperitia lapſus inique ſtatuerit, aut malè iudicauerit, eius aſſeſſores præmio ad operam ea in re præſtandam inuitati, punientur, quorum imprudentia ius aliter dictum ſit, quã oportuerit, argumento *l. 2. quod quisquis iuris, &c. l. 1. C. de aſſeſſor.* Qua de re videantur plura apud

pud Robertum Aurelianenſem *lib.3.ſent. iuris,cap.3.* Hotomannum *lib. quæſt. illuſtrium, cap.26.* vbi de hac quæſtione adductis aliquot in vtramq; partem fundamentis diſputat. Corraſium *lib.5. Miſcellan.c.19.*

Eſt etiam qui occaſione exordii in hac lege, in qua Papinianus & IC. & præfectus prætorio præſupponitur, quærunt, vtrum Doctor officio legendi & vna cum eo Magiſtratu etiam iuriſdictionali fungi poſſit? Qui negatiuè concludunt, hiſce vtuntur fundamentis & rationibus.

I. Quod duobus officiis vix quis benè præſit, ne, dum ad vtrumq; feſtinat, neutrũ recte peragat, *l.fin.C.de aſſeſſorib. l.iis quidem. 5. C.qui mil.poſſ.&c.lib.12.qui hac parte. 10. Cod. de proximis ſacror.ſcrinior.eodem lib.*

II. Quod iſta duo officia ſint incompatibilia, adeoq; ſimul retineri non poſſint, argumento *l.quisquis.6.C.de poſtul.*

III. Quia alterum altero impeditur, cũ iudex tota die ſit occupatus audiendis negociis, *§.ſedebunt. in Auth. de iudicib.* Doctor vero legens ſtudio & libris debeat incumbere, idq; propter difficultatem ſuæ vocationis, cui ſi ſatisfecerit, præclarum quippiam perfeciſſe videbitur, Balduinus in *præfationem ad Hoſpitalium de coniunctione hiſtoriæ & iuriſprudentiæ, mihi fol.594.* Hinc etiam iure cautum eſt, vt nullus Doctor excuſetur à mune-

muneribus tutelæ vel curæ, niſi actu legens, *l.medicos.6.C.de profeſſorib.& medic.* §.*item Romæ.Inſtit.de excuſ.tutor*. Sed veritati conuenientior eorum eſt opinio, qui diſtinguunt inter officia compatibilia & incompatibilia, ita vt illa ſimul retineri poſſint, hæc non item, *l.ſi quis.6.C.de poſtul.l.Domitius Labeo.27. infra de teſtam.l.ſi conſul.3.ſupra.de adopt.l.fiſtulas 78.§.1.infra. de contrah. empt.l.3. de ritu nupt.l. accipientis. infra de autorit.tutor*.

Tertio appellatione *domus* interdum intelligitur familia habitantium in domo. textus eſt hic & in *l.1.infra ad Syllanian*. ita vt pecunia numerata de domo Publii Mæuii dicatur numerata ab eius Caſtello, cui res domeſticæ gubernandæ erant commiſſæ, Gl.in *cap.2.de feudo Guardiæ*. Vnde etiam de domo dimittere & cibaria præſtare deſinere apud veteres fuit ſymbolum dirimendæ amicitiæ, *l.Lucius.88.§.Luc. Titius.de legat.2.* & ibi Apoſtilla.quæ allegat Tacitus *libro 5.* Qua de re videantur plura apud Paulum de Caſtro *conſil.92.n.2.vol.1.* ibi; *domus qualiter multis modis capiatur.*

IV. De ſolutione facienda in proba moneta, cui videtur opponi moneta reproba, quam Iuriſconſultus in *l. creditor 102.in princ.de ſolut.* vocat æroſam, id eſt, cui plurimum æris eſt admixtum. Cuius rei occaſione examinari poterat hæc quæſtio: An de-

bitor ſoluendo creditori reprobam monetam liberetur? Sed quia huius quæſtionis argumentum tractatur in *l. quid ſupra hoc tit.* videatur vltra ea antiquus iuris interpres. Pileus Modicenſis *quæſt.* 5:

V. Quod in conuentionibus & in ſtrumentis tolleretur quandoque non neceſſaria alioqui verborum inculcatio, (multiplicatio) vt hoc loco etiam non facta mentione probæ monetæ reprobam ſoluere debitor non poterat, *l. eleganter* 24. §. *qui reprobos. infra de pignorat. act.* Qua verborum copia ideo interdum vtimur, ne pateat Sophiſticis ingeniis via cauillandi: & quia ſtipulationibus non comprehenſa pro omiſſis & neglectis habeatur, *l. quicquid aſtringendæ.* 99. *de verb. obl.* Vt nihil interim dicam actuum geminationem & iterationem maiorem deliberationem præſupponere, §. *& hoc verò iubemus. vbi Gl. in verb. iuſſio. Auth. vt nulli iud.* Qua de re dixi ſupra in *l. iuris gentium.* §. *ſed cum nulla de pactis.*

VI. Cum id, quod pœnæ nomine dari debuit, quæſtionem vſurarum Iuriſconſultus hic vocet, notant Dd. hic vſuram eſſe pœnam, ad hoc inuentam, vt debitor coarctetur & ſtimuletur ad ſolutionem, ita vt pro pœna negligentiæ vſuras ſoluat, argumento §. *pœnæ. Inſtit. de legat.* Sed reuera diuerſam habent ſubſtantiam pœna & vſura: illa ex delicto

delicto in omittendo commiſſo oritur: hæc eſt precium vſus & commoditatis vel amiſſæ, vel alii præſtitæ; vt notatur in *Rubr. extra de vſur.* facit *l. Iulian⁹ §. id. ff. de act. empti.* Vnde non in paucis pœna ab vſuris differt. I. Pœna nũquam poteſt deleri ſine mora & negligentia: vſura poteſt deleri, ſi ita inter partes conueniat, *l. item quia. 4. ſupra de pactis. l. quamuis. 8. C. de vſuris.* II. Pœna ſemel cõmittitur: vſura ſæpius, Bolognetus hic *n. 23.* III. Vſura vtroque iure eſt prohibita, *cap. ſuper eo. de vſur.* Gl. in *Auth. de Eccleſiaſticis titulis, in princ:* pœna eſt permiſſa *cap. ſuam. 9. extra de pœn.* niſi in fraudem vſurarum ſit appoſita *l. Iulianus 14. §. idem Pap. de act. empt.* Qua de re videantur plura apud Franciſcum Marcum *part. 1. quæſt.* 411. IV. Vſura debetur ex diſpoſitione legis, *l. mora 32. §. in bonæ fidei. infra de vſur.* Pœna requirit partium conuentionem in caſu inobſeruantiæ contractus, *§. fin. Inſt. de verb. obl.* Qua de re videantur plura apud Bolognetum hic, *n. 24.*

V. Cum Iuriſconſultus hic inducat creditorem recte ſibi ſolui ſtipulantem, quærunt Dd. hic de natura dictionis *Recte*, quæ proprie importat factum: improprie vero ponitur pro rite, quo caſu importat ius vel iuris ſolennitatem, Gl. in *l. non putaui. 8. §. non quæuis. & ibi Bart. de bon. poſſ. contra tabb. l. 2. & ibi Gl. in verb. recte. ſupra de inoffic. teſtam.* Sic rite

 quidem

quidem hæreditate paterna priuari poteſt filius, recte non item, *l. ſed ſub conditione.* 18. *de bon. poſſ. contra tabb.* Nec enim boni viri eſt arbitrari, vt filiæ legitima auferatur, vt recte reſpondit Baldus, quem allegat Alexander *conſil.* 59. *vol.* 1. propterea quod parcendum ſit liberis, iis præſertim; qui non meruerunt notam exhęredationis, *l. 1. in princ. de coniung. cum emancip. lib.* quæ non poteſt fieri ſine iniuria, *l. cum quidam 24. in princ. C. de legat.*

VI. Quod prorogatio intelligatur facta cum omnibus ſuis qualitatibus, *l. Labeo.* 33. §. *hæc autem clauſula. de receptis arbitris.* Cuius rei occaſione quærunt Dd. hic, an conceſſa prorogatione debitori per creditorem dicatur fideiuſſor liberatus? In qua quæſtione ſic diſtinguitur, vt ſi tempus apponatur cauſa limitandæ, vel finiendæ obligationis, fideiuſſor liberetur, vt ſi quis conduxerit domum vſque ad annum, & alius pro eo fideiuſſerit, finito anno & prorogato conductori termino fideiuſſor liberatur, *l. cum Hermes. C. locati.* Si vero tempus apponatur exactioni vel ſolutioni, vt ſi quis datis fideiuſſoribus promittat ſoluere in fine anni vel in paſchate, quam obligationem in finem appellat textus in §. *omnes. Inſtit. de verb. obl.* quo caſu per lapſum dici non ſolum liberatur principalis debitor, ſed nec etiam fideiuſſor: non enim ex prorogatione poſtmodum ſubſecuta,

cuta, ſed potius ex priore vinculo vterque obligatus remanet, argumento *l. ſed etſi manente.* 5. *infra de precario.* à quo nexu ne prorogatio debitori ad tempus facta illum eximédi in totum vim habere poterit. Qua de re videantur plura apud Dd. hic, prǽſertim Petrum Loriotum & Felinum in *cap. ex adminiſtrationis. n.* 5. *de iureiur.* Decianum *conſil.* 72. *& licet cum à me. vol.* 2. eundem *conſil.* 11. *vol.* 1. *nu.* 29. *& conſil.* 102. *vol.* 3. *n.* 13. 16. Menochium, *conſil.* 212. *nu.* 42. 43. videatur etiam Paris de Puteo in *tract. de Syndicatu.* §. *fideiuſſor. num.* 11. Porcius *lib.* 3. *concluſ. cap.* 14. Mynſinger. *lib.* 6. *obſeruat. cap.* 53. Gailius. *lib.* 2. *obſeru. cap.* 30. *n.* 11.

VII. In continenti fieri dicitur, quod fit antequam partes diuertant ad extraneos actus, vel antequam habeant cōtractum pro completo vel perfecto, Bart. in *l. iuriſgentium.* §. *quin imo. n.* 21. *ſupra de pact.* facit *l. duos reos.* 6. §. *duo Rei. infra de duobus Reis ſtipul.* Et homo vulneratus ſi intra tres dies moriatur, dicitur in continenti mortuus; Gl. in *l.* 1. *C. de emend. ſeru.* quam allegat Zaſius hic, *num.* 30. Quanquam fateri nos neceſſe ſit de morte vulneratorum adeoque de futuris contingentibus nihil certi iure eſſe conſtitutum, Menochius *lib.* 2. *cent.* 4. *de arbitr. iud. caſu* 275. niſi eæ partes corporis humani vulneratæ ſint; in quibus vulnera illata ſunt mortalia vt eſt cerebrum, adeoque princeps ſeu prin-

cipale organum ſenſus & intellectus, Boerius *deciſ.* 423.

Ad *L. Eius, qui in prouincia* XLI.

SVmma legis, teſte Zaſio hic, hæc eſt. Seruus Calēdario, id eſt, quæſtui ſeu negociationi præpoſitus mortem domini & ſe cum aliis hæredem inſtitutum ignorans, ſi pecuniam exigat, debitores ignorantes liberat, ipſe verò ſuper pecunia exacta cohæredibus negociorum geſtorum tenetur. Credendo autem promiſſores vltra partem ſuam non obligat; ſtipulando tamē domino iam mortuo nihil agit: ſibi verò ſtipulatus ante aditam hæreditatem hæreditati acquirit, poſt aditam cohæredibus acquirit ignorantibus illis quidem, non etiam ſcientibus.

Circa hanc l. primo notandum Calendarium hoc loco accipi pro libro, in quo cautiones & inſtrumenta debitorum conſignātur tex. eſt hic, & in *l. qui filiū. § 2. infra de legat. 3.* qua occaſione de origine Calendariorum, quibus hodie vtimur, queri poterat? quę vix eſt, vt centum annis ſint antiquiora, vt teſtatur Ludouicus Laſadeus in *commentario ſuper librum Iob cap. 9. homilia 33.*

In quo loco primum ſe offert teſtamenti recitatio, id eſt, publicatio, ad quam multa requiruntur. I. Iuramētum calumniæ, quod ab eo præſtari neceſſe eſt, qui publicationē pe-

petit, vt ſc. iuret ſua intereſſe & ſe non calumniandi animo publicationem petere, *l. eius quod.* 3. *C. quemadmodum teſt. aper.* Cephalus *conſ.* 203. *deciſiue. n.* 1. *vol.* 2. Neq; enim neceſſe eſt omnibus apertam eſſe poſtremorum iudiciorum diſpoſitionem præſertim ſecretam *l.* 2. *C. quando & quibus quarta pars, &c. lib.* 10. *l.* 1. §. *his qui depoſita; infra ad l. Corn. de falſis l.* 1. §. *ſi quis tabulas. infra depoſ. l. ſi quis teſtam.* 42. §. *ſed et ſi quis ſupra ad l. Aquil.* ſicut & alieni regni arcana nemo ſcrutari debet, *l. mercatores.* 4. *in princ. C. de commerc. & mercatoribus.*

II. Citatio eorum, quorum principaliter intereſt publicationem fieri, *l. nam ita Diuus.* 39. *ſupra de adoptionibus.*

III. Citatio teſtium teſtamentariorum, qui ſubſcriptiones & ſigilla ſua tenentur recognoſcere, Rolandus à Valle *conſ.* 36. *quoniã nonnulli, nu.* 13. *vol.* 1. Quia vero plerunque teſtibus præſertim in alieno territorio, adeoque loco remotiore viuentibus non tantum onerosum, verum etiã moleſtum eſt agnoſcendi vel recognoſcendi cauſa ad iudicem illius territorii in quo teſtes viuunt ſcribendum eſt, vt iuramenta & recognitionẽ, aut etiam dicta ab iis recipiat, eaque omnia ſibi clauſa & ſigillata remittat, quibus acceptis teſtamentum publicabitur, Rolandus à Valle *d. conſ. n.* 13.

IV. Iudicis ſententia interlocutoria,

qua pronunciet ſcripturam teſtamenti nũc publicam, eiq; fidem adhibendam eſſe, Rolandus *ibidem, n.* 17.

Eſt etiam, vt de mandato, quod morte domini extinguitur, hic aliquid dicatur, cũ hoc textus hic, & in *l. fin. infra de ſolut.* diſerte præſupponat. Si tamen effectus mandati propter ignorantiam, quo ad liberationem & actionem duret, res ſecus ſe habet, Bart. in *l. hoc iure.* 19. *infra de donat.* quod ſi poſt mortem collatum ſit itidem morte non finitur, Bart. in *l. mortis cauſſa.* 18. *de mortis cauſſa donat.* Quod etiam in fauorabilibus obtinet, vt in pia cauſa, in qua mandatarius poteſt expedire mandatum etiam mortuo mandante, *l. ſi ego.* 10. §. 1. *de iure dotium.* Hippolytus de Marſiliis *ſingulari.* 44. vbi hanc regulam etiam fauore pacis limitat, ita vt procurator vulnerati conſtitutus ad pacem faciendam, etiam poſt mortem vulnerati pacem facere poſſit. Eſt & cum mandans de neceſſitate tenetur facere idipſum, quod mandatario mandauit; quo caſu mandatarius etiam poſt mortem tale mandatum poteſt exequi, *l. fundi venditor.* 33. *& ibi Gl. in verb. recte. infra de acqui. poſſ.* Qua de re videantur plura apud Sebaſtianum Medices in *tractatu, mors omnia ſoluit, part. 2. concluſ.* 64. *num.* 186. vbi *num.* 192. inter alias limitationes hæc habetur, quæ huic loco apprimè

eſt

